15.5.359

15 B. 5

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES
IN HISTORIAM
SACRO-POLITICAM,

Præſertim ad Chronologiam
ſpectantes.

Accedunt nonnulla

Ad ASTRONOMIAM, & CHOROGRAPHIAM
PERTINENTIA;

Et demùm

DISSERTATIO
PHYSICO-MATHEMATICA
DE AERE.

AUCTORE
D. CAJETANO FONTANA C. R.
MUTINENSE,

Sacræ Theologiæ, necnon Phyſiologiæ, &
Matheſeos Profeſſore.

MUTINÆ, Typis Bartholomæi Soliani Impreſs. Duc. 1718.
Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO
RAYNALDO ESTENSI
Mutinæ, Regii, & Mirandulæ Duci &c.

QUanta fuerit, SERENISSIME DUX, Eſtenſium Heroum gloria in litterarum, & bonarum Artium patrocinio, nemo ignorat, qui præſtantiſſimæ hujus Domus geſta, & Celſitudinis Tuæ Proavos conſiderare velit. Ferraria olim tanquam Eruditorum Aſylum, Sapientum Domicilium, celeberrimum Lyceum in omnium ore verſabatur. Benigna mihi aſfuit ſors, ut ſub hoc Eſtenſi Cœlo naſcerer, & educarer, eo tempore, quo hìc regnaret

Digitized by Google

Glorioſiſſimus Tuus Genitor; poſtmodùm ei ſuccedentibus duobus Filio, & Nepote; demùm adhuc vivere mihi conceſſum ſub fœliciſſimis Auſpiciis Celſitudinis Tuæ nunc regnantis: eidem ſum auſus Opuſculum iſtud Hiſtorico-Chronologicum, & Sacro-Politicum dicare, quò Potentiſſimæ Protectionis Tuæ ſubſidio munitum ſubſiſtere valeat. Cum de Tempore in eo ſit ſermo, re quidem Divinâ, & de actibus Magnatum, ac Principum; cui dicandum Opus iſtud potiùs, quàm uni inter Principes inſigni, Patriæ meæ Domino, & ex Proſapiâ orto, quæ inter Italicas Principum ſumma eſt, Excelſaque? Dignare ergo, ſupplex oro, Serenissime Dux, opus iſtud, quamvis exile, & humile, benignè acceptare, tanquam mei animi obſequentiſſimi teſtimonium.

Tuæ Celſitudinis

Humillimus, Addictiſs., & Obſequentiſſimus
D. Cajetanus Fontana C. R.

Præ-

Præfatio ad Lectorem.

C*Æſar Baronius ſamigeratiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum Scriptor, hoc ipſo clarior, quàm Purpurâ, primus fuit, qui Oceanum hunc ferè incognitum pernavigavit; hinc non potuit, quin in aliquot errorum Chronologicorum ſcopulos, ſyrteſque inciderit. Ex alienis periculis edocti nonnulli, qui rem Chronologicam recentiùs pertractarunt, atque intimiùs penetrarunt, Baronianos ſcopulos vitare didicerunt, ut Clariſs. Card. Noriſius, aliique, &, qui Criticam ſuper Baronii Annales ſcripſit, Pagius. Verùm dum agitur de Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ primordiis, puta Chriſti Paſſionis tempore, dum ipſe Criticus antiquorum nonnullorum Patrum ſententiæ nimis adhæſit, præſertim Auguſtini (quem Noriſius ratione ſuæ ſodalitatis ſupra modum colebat), etſi unius tantùm anni errore, meo videri, fallebatur: non enim Judaicos ritus in Paſchatis celebratione admodùm attenderant antiqui illi Patres; etſi attenderant, Aſtronomiæ imperiti, putabant Plenilunium fuiſſe, quando verè non fuerat. Samuel Baſnagius verò eruditiſſimus quidem, poſt Pagium in Annales Criticus, heterodoxus tamen, ut talis in alium incidit errorem, dum non obſtante communi Eccleſiæ Catholicæ ſenſu, Chriſtum putavit paſſum ætate annorum triginta ſex expletorum, & labente trigeſimo ſeptimo.*

Ad hujus generis ſtudium, me valde pronum ſentio; & libenti animo novam Criticam in Criticas editas exarare non reſpuiſſem, niſi plura à tanto Opere me retra-

Digitized by Google

xiſſent, videlicet; tenuitas mea, rei magnitudo, ſenectæ comes imbecillitas, ſine ſpe explendi Operis; aliaque hic non afferenda: fortè tamen non deſiſtam privato calamo, pro viribus, dum vacat, genio indulgere. Modò ſufficere ſtatui Typis mandare nonnulla circa Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ primordia, videlicet preſertim circa famoſas, arduaſque putatas quæſtiones de temporibus Conceptionis, Nativitatis, & Paſſionis D. N. Jeſu Chriſti. Itaque Opuſculum iſtud Animadverſionum tibi affero, Benigne Lector, bipartitum, In Prima Parte totum Tempus à Mundi Creatione Moſaicâ, ad Chriſtum uſque percurro: Temporum rationes eaſdem amplector, quas Clariſs. Uſſerius in ſuo Opere de Veteris Teſtamenti Annalibus. Secunda Pars eſt à Chriſto, uſque ad Apoſtolorum Petri, & Pauli martyrium, atque Jeroſolymitanum excidium; ubi, implorato Dei Omnipotentis auxilio, nodos illos celeberrimos præfatorum Temporum Chriſti Conceptionis, ſeu Incarnationis; Nativitatis; & Paſſionis ſolutionem pertentare in animo eſt. Vale.

De

DE mandato Rev. P. Magiſtri Fr. Joannis Philippi Monti de Firmo Inquiſitoris Generalis Mutinæ legi Librum, cui Titulus -- *Animadverſiones in Hiſtoriam Sacro-Politicam, præſertim ad Chronologiam ſpectantes* &c. *Auctore Rev. P. D. Cajetano Fontana Clerico Regulari de Mutina*, nihilve in eo deprehendi ab Eccleſiæ Catholicæ doctrinâ, & Religione abjectum, aut bonis moribus contrarium, imò dignum, quod ipſum eâ doctrinâ, & eruditione refertum, quæ Virum, tam doctum in Arithmeticis, & Aſtronomicis jam clarum, qualis eſt Auctor, maximè redolet, Eruditorumque Virorum ſatisfactioni, ac utilitati, quamprimum in lucem prodeat cenſeo. In quorum fidem &c.

Dat. in Conventu noſtro S. Auguſtini Mutinæ die 19. Auguſti 1717.

Fr. Odoardus Maria Cari Lector in S. Theol.
Sanctiſſimæ Inquiſitionis Conſultor.

Digitized by Google

EX commiſſione Reverendiſſimi Patris D. Philippi Siſola Præpoſiti Generalis C. R. vidi, percurri, & perpendi Opus, cujus titulus -- *Animadverſiones in Hiſtoriam Sacro-Politicam, præſertim ad Chronologiam ſpectantes* &c. *Auctore Patre D. Cajetano Fontana C. R.*, Nilque, quantùm ſapio, continet contra Religionis Dogmata, bonos mores, Juraque Principum, quinimò plura novâ eruditione referta introſpexi in Chronologicis, temporum diſcretionem accuratè expenſam, necnon reliqua omnia digna tanto Viro in Arithmeticis, & Aſtronomicis, aliunde claro. In quorum fidem &c.

Ego D. Antonius Ancharanus Sacroſanctæ Theologiæ, & Sacrorum Canonum Profeſſor, necnon Præpoſitus C. R. S. Vincentii Mutinæ, atque Sanctiſſimæ Inquiſitionis Conſultor.

OPus, cui Titulus: *Animadverſiones in Hiſtoriam Sacro-Politicam, præſertim ad Chronologiam ſpectantes* &c. *à P. D. Cajetano Fontana conſcriptum*, de mandato Reverendiſſimi Patris noſtræ Congregationis Præpoſiti Generalis D. Philippi Siſolæ attentiſſimè legi, & nedum contra, vel Orthodoxæ Fidei veritatem, vel morum probitatem nihil inveni; quin potiùs utpotè ſatis doctrinâ, ac eruditione refertum Typis mandari poſſe judicavi.

Placentiæ undecimo Kal. Julii 1717.

Joſeph Maria Mazzolinus Cler. Reg., & Sacræ Theologiæ Profeſſor.

Hoc

HOc Opus inſcriptum, *Animadverſiones in Hiſtoriam Sacro-Politicam*, *præſertim ad Chronologiam ſpectantes* &c. *à R. P. D. Caietano Fontana noſtræ Congregationis* Presbytero compoſitum, & juxta aſſertionem Patrum, quibus id commiſimus approbatum: ut Typis mandetur, quoad nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes litteras manu propriâ ſubſcripſimus, & ſolito noſtro Sigillo muniri fecimus.

Romæ 10. Julii 1717.

D. Philippus Sifola Præpoſitus Generalis Cl. R.

D. Petrus ab Eccleſia C. R. Secretarius.

IMPRIMATUR.

Fr. Joannes Philippus Monti Sacræ Theologiæ Magiſter, Inquiſitor Generalis Mutinæ.

VIDIT

Borſius Santagata.

INDEX.

PARS PRIMA.

CAP. I. *De Mundi Chronologiâ Moſaicâ*. Pag. 1.
CAP II. *Hiſtoria Chronologica Diluvii, & de loco, in quo Arca quievit*. 7.
CAP. III. *De Diviſione Gentium poſt Turrim Babel, & ortu primæ Monarchiæ*. 11.
CAP IV. *De Moſe, & Hebræorum Republica*. 19.
CAP. V. *De progreſſu, & fine Imperii Aſſyriorum, & de Imperio Medo-Aſſyrio, & Chaldæorum, uſque ad initium Perſici*. 27.
CAP. VI. *Refertur Monarchiæ Perſicæ exortus; & exhibetur Canon Ptolemaicus correctus, à Nabonaſſaro primo Chaldæorum Rege, uſque ad Alexandrum Magnum*. 37.
CAP VII. *De rebus Romanis; ubi de primordiis Urbis Mutinæ Patriæ Authoris*. 42.
CAP. VIII. *De regimine Judaicæ Reipublicæ poſt captivitatem Babylonicam, & præcipuè de ſucceſſione Pontificum uſque ad Aſſamonæos, necnon de rebus Syriacis*. 50.
CAP. IX. *De rebus ad Galliam Ciſalpinam præſertim ſpectantibus notatu dignis, juxta ordinem temporis*. 57.
CAP. X. *De rebus Syriacis Aſſamonæorum tempore, itemque de Aſſamonæis Principibus, Regibusque uſque ad Alexandrum Jannæum*. 67.
CAP. XI. *De rebus Romanis iterum juxta ordinem temporum*. 74.

CAP.

CAP. XII. *De rebus tum Judaicis poſt Alexandrum Jannæum: tum Romanis illorum temporum, uſque ad Cæſaris necem. Ubi de Reformatione Kalendarii Romani Julianâ.* 78.

CAP. XIII. *De nece Cæſaris; Bello Mutinenſe, & Triumviratu.* 88

CAP. XIV. *De fine Aſſamonæorum Principatus, Regnique, & de ſubſequente Herodis Regno.* 95.

CAP. XV. *De Herodis rebus, ejuſque Domo.* 103.

Pars Secunda.

CAP. I. *De tempore obitus Herodis Magni.* Pag 109.

CAP. II. *De tempore Incarnationis Dominicæ, & Nativitatis.* 114.

CAP III *De adventu Magorum, & Infanticidio; & cur illa Joſephus tacuerit.* 124.

CAP. IV. *De Cenſu Quirini.* 129.

CAP. V. *De Auguſti morte, & ſucceſſione.* 132.

CAP. VI *Exponitur primus verſus cap. 3. Lucæ.* 135.

CAP. VII. *De tempore, quo Chriſtus fuit paſſus.* 143.

CAP VIII. *Exponitur Angeli oraculum apud Danielem de ſeptuaginta hebdomadibus. Ubi confirmatur quod fuit ſtatutum de Anno Paſſionis Dominicæ.* 156.

CAP. IX. *De Solis Eclipſi Phlegontea; & confirmatur ex ea Annus Paſſionis.* 163

CAP. X. *De ſucceſſione Principum, tum Romanorum, tum Judæorum à tempore Chriſti ad uſque martyrium Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Jeroſolymorum excidium.* 165.

CAP. XI. *De tempore Apoſtolici Concilii, deque Romani Pontificatus exordio; ubi confirmatur, quod ſtatuimus de Anno, & tempore Chriſti Paſſionis.* 175.
CAP. XII. *Confirmatur etiam Annus Dominicæ Paſſionis ex Anno, quo paſſus S. Polycarpus, cujus martyrii hiſtoria hâc occaſione elucidatur.* 178.
CAP. XIII. *De Romanis Principibus à Nerone ad Veſpaſianum.* 181.

PARS

Digitized by Google

PARS PRIMA

CAPUT PRIMUM.

De Mundi Chronologia Moſaica.

I. MOſes Hebræorum Reipublicæ inſtitutor, & fundator nil habuit antiquius, quàm ut eam ſuper Religionis, verique Dei cultus baſim firmaret, quo natura humana corrupta ſenſim congruis ſanata remediis, ad ſuum ultimum finem tandem converſa duceretur. Primum opus fuit, ut Mundi Creatorem agnoſceret Deum, neque cum Ethnicorum colluvie aberraret, opificium cum opifice confundens, æternum cum temporaneo, infinitum cum finito, quemadmodum Plinius in exordio ſuæ Naturalis Hiſtoriæ turpiter erravit, & quemadmodum Ariſtoteles Mundum Deo fecerat coæternum. Itaque Moſes narrat Deum Mundum hunc viſibilem creaſſe, Divinæ Potentiæ prodigiis ſuæ narrationi fidem faciens; ejus ætatem determinato annorum numero menſus, à rerum exordio ad ſua tempora. Primùm compendio ait Deum in principio Cœlum, & Terram creaſſe; mox tranſit ad declarandam expreſſiùs Dei operationem, quam diviſam exhibuit juxta diſtinctos unius Hebdomadæ dies. At neſcio, an verè ſex diebus, & non in inſtanti, Deus cuncta creaverit viſibilia, ſicut videtur Moſes exprimere;

Digitized by Google

an potiùs voluerit hìc ſuæ narrationis ſtilum rudis populi captui conſonum, abſque veritatis præjudicio, quia conſervatio verè eſt continuata productio, unde poſterior rei cujuſcunque conſervatio eſt productio; & verè Solis priùs exiſtentis conſervatio die quartâ, eſſet ejuſdem productio, & propter inſenſibilem diſtantiam à primo inſtanti relatè ad diuturnitatem poſterioris temporis, ad primam pertineret productionem: Præterea, ut Hebdomada prior temporum periodus inſtitueretur; cujus ſex dies humanæ vitæ actionibus deputarentur; ſeptimus periodum clauderet, illis omiſſis, religioſis actibus, Dei cultui, & gratiarum actioni dicatus.

II. Quoniam Hiſtoria ſine Chronologia claudicat, idcircò Moſes hiſtoriam ſuam à Mundo condito pertrahens ad ſua uſque tempora, & ſpecialiter ad tempus, quo ſuum iniit Ducatum; cùm ſcilicet Iſraeliticum populum eduxit ab Ægypto, ſui muneris eſſe agnovit ob oculos legentium modum exhibere, quo exiguo ſupputationis labore, numerus annorum pateret. Id autem egit referens ætatem ſingulorum protoparentum generantium, tum ante Diluvium, tum poſt ipſum ad Abrami uſque generationem, tum ætatem Noachi in ipſo Diluvio, & poſt ipſum immediatè. Deinde ætatem Abrami, cùm Dei juſſu diſceſſit ex Haram; & demùm annorum numerum, quibus ipſe, ejuſque poſteri peregrinati ſunt uſque ad exitum ab Ægypto. Novem narrantur generationes antediluvianæ; ſumma annorum 1056., deinde 600. ætatis Noachi in fine Diluvii; unde fiunt anni

1656.

1656. à Mundo condito ad finem Diluvii. Poſt hunc finem novem quoque ſunt numeri, quorum primus eſt annorum 2. generationis Arfaxad; ultimus eſt 130. generationis Abrami è Thare, qui non eſt expreſſus, ſed deductivè habetur. Poſteà 75. ætatis Abrami, cùm egreſſus fuit de Haran; Demùm annorum 430. peregrinationis; quare fit ſumma annorum 857. à fine Diluvii ad Exitum ab Ægypto; ex quibus & 1656. fit totalis ſumma annorum 2513 à Mundo condito ad Exitum. Si Mundus fuiſſet conditus eodem anni tempore, quo contigit præfatus Exitus, nempè Verno; eidem ſummæ quicquam non adderemus, neque ab eadem detraheremus; verùm quia fortè autumnali tempore Mundus fuit conditus, annus à Mundo condito 2513. fuiſſet adhuc in curſu, nondum præteritus, quod ut innoteſcat, dignoſcendi ſunt duo hi anni; nempè ille, quo Mundus fuit conditus, atque ille, quo à Moſe ex Ægypto educti Iſraelitæ; imò priùs iſte inveſtigandus, & inde primus reſultat ex præfato annorum numero.

III. Itaque, quò hunc annum liberationis ab Ægyptiaca captivitate inveſtigemus, neceſſe eſt ejus intervallum metiri ab aliquo temporum articulo fixo, & notiſſimo, qualis aſſignari ſolet vulgaris Chriſti Epocha, cujus primum annum liquidiſſimè conſtat fuiſſe Julianum 46. h. e. à correctione Julii Cæſaris, & Periodi Julianæ Scaligeri 4714. Hoc intervallum tripartitum volumus; in tempus, quod effluxit à præfata liberatione ad jacta Templi Salomonici fundamenta anno quarto Regni ejuſdem Salomonis; in tempus à jactis hiſce

fundamentis ad Templi ejuſdem conflagrationem ſub Nabuchdonoſore, & denique in tempus à dicto Templi excidio ad initium ipſius vulgaris Chriſti Epochæ. Primum tempus, ſive prima pars intervalli expreſsè habetur ex cap. 6. lib. 3. Regum ver. 1. ubi dicitur: *Factum eſt ergo quadragintesimo, & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael de terra Ægypti in anno quarto (menſe Zio, iſte eſt menſis ſecundus) Regni Salomonis ſuper Iſrael, ædificare cœpit domum Domini*. Igitur continet annos ſolidos 479. & menſem unum circiter. Secunda pars, quamvìs in præciſa ejus quantitate non omnes conveniant, tamen hodie communiùs ſtatuitur ex hiſtoria librorum Regum, & Paralipomenon, annorum 424. menſ. 3. circiter. Tertiam partem recentiores Chronologi unanimiter partim ex Hiſtoria Sacra, partim ex Politica irrefragabili, ſtatuunt fuiſſe annorum 587. & circiter quinque menſium. Redactis ergo his tribus numeris 479. m. 1. 424. m. 3. 587. m. 5. in unam ſummam proveniet hæc annorum 1490. & menſium 9. circiter. Igitur annus eductionis Iſraelitarum ex Ægypto fuit 1491. ante vulgarem Chriſti Epocham, & Julianæ Periodi 3223. Si verò detrahas 2513. à 3223., fiet annus 710. Jul. Periodi, qui coincidit cum anno 4004. ante vulgarem Chriſti Epocham. Si hujus anni Vere contigiſſe reperiemus temporis characteres proprios, qui Mundi initio convenirent, hoc eſt concurrentiam Æquinoctii, Synodi Lunaris, & feriæ primæ, rationabiliter putabimus, tunc verè à Deo Mundum fuiſſe conditum, at ſi non Vere, ſed ſubſequente Autumno præfatos invenie-

veniemus characteres; ejuſdem anni Autumno, ipſoque æquinoctio Mundum conditum putabimus, hoc eſt ante Chriſti Epocham annis ſolidis 4003., & inſuper tribus menſibus; idque tutiùs propter rationis paritatem, namque ita ſe habet Autumnus in ſpatio annuo, ſicut veſpera in diurno, atqui principium diei naturalis ſtatutum à Deo in ipſo veſpere, nam ſingulis diebus creationis Mundi dicitur: Factum eſt veſpere, & mane dies primus, dies ſecundus &c. igitur ſicut veſpera præcedit mane, ita Autumnus præceſſit Ver in primordiali annuâ revolutione. Verùm de facto in diem 23. Octobris ejuſdem anni, ea tria concurriſſe calculo eruimus, anni inquam, Juliani prolepticè eò protracti: erat Cyclus Lunæ 7. qui in Kalendario Synodi Nicænæ tempore applicatur diei 9. ejuſdem menſis, ſiquidem in tanto temporum intervallo in anno Juliano verſus menſium initia retroceſſerunt diebus 14. novilunia; & æquinoctium magis etiam retroceſſit uſque ad 20., vel 21. Septembris, ſi de æquinoctio medio loquamur. Erat Cyclus Solis 10. Litt. Dom. B.

IV. In hac hiſtoria Moſaica de Mundi geneſi, ſummâ animadverſione dignum ad Chronologiam pertinens illud eſt, duo Temporum initia ibidem innui, & colligi: Primum abſolutum, quod & Aſtronomicum in ipſa primâ die conſiſtens: Aliud verò Civile, & populariter cognoſcibile, quod & Phyſicum appellari poteſt in quarta die conſiſtens; & quidem à veſpere, quo finitur dies tertia, & exordium ſumit dies quarta. Jam notavimus in diem primam incidiſſe characteres Feriæ primæ;

Novilunii Aſtronomici, h. e. Synodi Solis, & Lunæ (calculo etenim inveni aliquot horis poſt meridiem ſub Meridiano Eden eam contigiſſe); & ferè in ipſo Æquinoctii autumnalis puncto. Verùm quia pro tunc tantùm prolepticè Sol, & Luna conſiderari queunt, quia vel nondum erant, vel ſi erant, innominata, & in obſcuro latent in narratione, & Luna ſub radiis Solis, lumine vacua, inviſibilis fuiſſet, Initium quidem verum mundani temporis illud erat, ſed Civile non erat, quia ſenſibili Luminarium ſigno carebat. Hoc autem Civile temporum initium priùs non fuit, neque poſteriùs veſpere præfato, qui exordium fuit diei quartæ, tunc enim Deus verbo ſuo Solem, & Lunam feciſſe narratur, namque ſtatim dicitur: *Et vidit Deus, quòd eſſet bonum. Et factum eſt veſpere, & mane dies quartus*. Eo inſtanti, à Synodo expleti fuere duo ſolidi dies, & præterea aliquot horæ, h. e. ſi tunc erat Autumnale æquinoctium, Lunæ tunc erat prima Phaſis, quæ rationabiliter eſt ſignum capitis anni Luniſolaris, atque in eo menſium; & taliter acceptum à Moſe, & deinceps ab antiquis Judæis uſque ad Chriſti tempora; id fatentur Rabbini, aliique communiter ſentiunt, unde Clemens Alex. lib. 6. Strom. refert epiſt. Apoſtolo Petro attributam, in qua dicitur: *Niſi Luna appareat, neque Neomeniam agunt &c.* Dixi, ſi tunc erat Autumnale æquinoctium, nam ſi fuiſſet Vernum æquinoctium, primæ Phaſis tempus non fuiſſet veſpera poſt diem tertium, ſed præcedens poſt diem ſecundam, quæque initium eſt diei tertiæ, quod quiſque novit, qui in Aſtronomia

non

non eſt planè rudis. Hinc argumentum pro confirmatione ſententiæ de Mundo condito non Vere, ſed Autumno.

CAPUT SECUNDUM.

Hiſtoria Chronologica Diluvii, & de loco, in quo Arca quievit.

I. ANnus Diluvii fuit Annus à Mundo condito ſupra milleſimum ſexcenteſimus quinquageſimus ſextus, ut conſtat ex ſupradictis, & ſexcenteſimus vitæ Noachi, ut habet Sacra Scriptura. Chronologiæ Moſaicæ annos plures putant fuiſſe Luniſolares, menſium alternatim plenorum dierum 30., & cavorum dierum 29. cum ſuis Emboliſmis. Verùm ex hiſtoria ſacra Diluvii, quâ menſes referuntur conjunctim tricenarii, ſatis oſtenditur, annos à Moſe ſumptos, fuiſſe purè Solares Ægyptio more, ſiquidem conſtat apud Ægyptios etiam ab antiquiſſimis temporibus annos fuiſſe duodecim menſium, hoſque cunctos fuiſſe tricenarios, cum appendice in fine anni quinque dierum; Moſes enim in Ægypto natus, & educatus cum ſuis popularibus aliam anni formam non adhibuit, quàm quæ vulgaris ſibi erat, & notiſſima, ſaltem quoad tempora, quæ legem promulgatam præceſſerunt. At quia forma illa anni vulgaris defectuoſa erat, & vaga, ſupplevit ipſe ſapientiâ ſuâ, qualis decebat Prophetam, & Legislatorem à Deo miſſum, debitis intercalationibus non omiſſis.

II. Geneſ. cap. 7 ver. 11. dicitur: *Anno ſexcenteſimo vitæ Noè, menſe ſecundo, decimo ſeptimo die menſis, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ &c.* Dubitatur, an annus iſte ſuum ſumat exordium à tempore eo præciſè anniverſario, quo fuerat natus Noè, quod cum ignoremus, ignotum quoque maneret, unde annus inciperet; an verò cum fuerit Judæorum mos, annos regnantium computare ab initio civili ipſius anni, tanquam à cunctis noto principio voluerit Moſes annos inire à tempore, quo Mundus fuerit conditus à Deo, iis temporibus, quæ præceſſerunt novum præceptum, de quo Exodi 12. annum auſpicandi à Vere, quo Hebræi ex Ægypto educti; quod quidem probabile eſt, ne ab ignoto principio annus ille Diluvii auſpicaretur. Itaque ab autumnali æquinoctio intelligeretur exordium ſumere, & ita menſium ordo, idem ferè fuiſſet, ac ſignorum Zodiaci Libræ, Scorpionis, Sagittarii &c. Æquinoctium autumnale ſeu ingreſſus Solis in Libram ex Tabulis Guarini Caſſinianis hypotheſibus cohærentibus contigit eo anno nocte antecedente diem 12. Octobris anni Juliani prolepticè conſiderati, quare ea dies ſtatuetur pro prima illius anni; unde ſecundus menſis inciperet à die 11. Novembris, atque prima dies pluviæ eſſet 27. ejuſdem menſis; & ultima fuiſſet quinta Januarii propè hibernum Solſtitium. Ejuſdem cap. 7 in fine dicitur: *Obtinuerunt aquæ terram centum quinquaginta diebus*, h. e. menſibus quinque tricenariis; & verè paulò poſt cap. ſeq. ver. 4. *Requievitque Arca menſe ſeptimo, decimo ſeptimo* (ut habetur in text. Hebraico autographo)

die

die menſis ſuper montes Armeniæ; quare illi centum quinquaginta dies comprehendunt Diluvium quoad augmentum, & quoad ſtatum: quoad augmentum conſiſtens in pluvia quadraginta dierum; quoad ſtatum totum tempus, quo terra cum celſiſſimis montibus, aquis operta manſit; idque perduravit uſque ad præfatam diem 17 ſeptimi menſis excluſivè, quo requievit Arca ſuper montes &c. menſis ſeptimus cœpiſſet die 10 Aprilis Juliani circà Vernum æquinoctium, cujus die 26 requievit Arca &c. Inde ſubſequitur decrementum, idcircò immediatè ver. 5. dicitur: *At verò aquæ ibant, & decreſcebant uſque ad decimum menſem, decimo enim menſe, primâ die menſis apparuerunt cacumina montium*. Prima dies menſis decimi fuiſſet dies 9. Julii circa æſtivum ſolſtitium. Poſtea cap. 8. ver. 13. refertur Terræ exſiccatio: *Igitur ſexcenteſimo primo anno, primo menſe, primâ die menſis imminutæ ſunt aquæ ſuper terram; & aperiens Noè tectum Arcæ aſpexit, viditque, quòd exſiccata eſſet ſuperficies terræ;* cùm videlicet rediret Autumnale æquinoctium. Demùm *menſe ſecundo, ſeptimo, & viceſimo die menſis arefacta eſt terra* ver. 14. & ver. 15. *locutus eſt autem Dominus ad Noè dicens*, & 16. *Egredere de Arca tu, & uxor tua &c.* ideſt decimo die poſt expletum annum ab initio Diluvii., nempè Decembris die 7., quæ prima fuiſſet totius temporis poſt Diluvium elapſi, anno ante Chriſtum 2348. ad finem tendente, & Periodi Jul. 2366., Cyclo Solis 14. & litt. Dom. D., & Cyclo Lunæ 10. unde fuiſſet ea dies feria 2., & Luna 24.

III.

III. Quod attinet ad locum, quo Arca requievit menſe ſeptimo in montibus Armeniæ, ſeu Ararath, legendum caput octavum lib. primi itin. Tavernerii, ubi viam deſcribit ab Erivan Urbe in confinio ditionis Turcarum, & Perſarum, ad Urbem Tauris in Media, quam Petrus de Valle juxta vernaculam incolarum linguam vocat Tebriz tom. ſec. pag. mihi 214. Hæc via eſt itineris dierum decem, in cujus medio eſt Urbs Armenorum dicta *Nakſivan*, *Nak* Armenis eſt navis, & *Sivan* requies: ab hac novem circiter milliaribus ad meridiem, & occaſum, diſtat Mons celſiſſimus, quem incolæ vocant *Meſcuſar*, h. e. Mons Arcæ; ille Mons locus fuit, ubi Arca requievit; eſt ferè diſjunctus à proximis Montibus Caſpiis. Ejus vertex rarò conſpicitur propter nubes, quibus obducitur; ejus ſuperior medietas perpetuis nivibus albeſcit; quinque dierum itineris intervallo ejus vertex proſpicitur. Tavernerio concordat Guillelmus de Rubruquis cap. 49 itinerarii Tartariæ, quam S. Ludovici mandato peragravit, qui aſſerit *Araxi* (h. e. regioni campeſtri, quam præterfluit Araxis fluvius, ubi præfata Armeniæ Urbs eſt ſita), *&* *Naxuanæ* (h. e. Urbi Nakſivan, ut nominatur à Tavernerio) *duos imminere Montes Maſſis nomine, quibus Arca reſedit.*

CA-

CAPUT TERTIUM.

De Diviſione Gentium poſt Turrim Babel, & ortu primæ Monarchiæ.

I. SI Orbem Terræ tanquam unam humani generis Civitatem conſiderare velim, ejus umbilicum, ſeu plateam putarem eſſe regionem illam, in qua ædificata fuit Babylon, nempè Chaldæam, & ut nuncupatur in Sacra Scriptura Gen. cap. 11. ver. 2. Sennahar, vel Sinhar. Si Geographicam mappam inſpicio, video ab ea hinc inde duo Magni Continentes extrema, æquali ferè intervallo ſejungi; Aquilonem verſus Magnæ Tartariæ Borealem extremitatem; ad oppoſitam plagam Africæ apicem, ubi Bonæ Spei Promontorium. Si ad Orientem aſpicio, & Occidentem; ibi Sinarum extrema, & Japoniam inſulam; hìc autem Hiſpaniam, & Britannicas Inſulas. In hanc itaque terram Sinhar convênit Noachi poſteritas, ibi temerarium illud ædificium, ſive Turrim erexere, unde Populorum diviſio circumquaque in omnes terras, Dei juſto judicio, emerſit. Sinhar enim æthimologia, ut notat Bochartus Geogr. Sacræ cap. 5 lib. 1. à verbo נער Nahar, quod eſt Excutere. Eo verbo utitur Deus in lib. Job. cap. 38. ver. 13. ubi dicitur: *excuſſiſti impios*.

II. Etiamſi Diviſio hominum per univerſas terras fieri potuiſſet ſecundùm familias, cum eſſet Terra labii unius, tamen voluit Deus hujus Diviſionis

ſionis occaſionem ſumere à diviſione, & confuſione linguarum, unde rectiſſimè ait D. Auguſt. lib. 16. de Civ. cap. 1. *Quid aliud intelligendum eſt, terras eſſe diviſas, niſi diverſitate linguarum?* idque patebit legenti cap. 11. Gen, & ver. 5 cap. 10. Itaque Diviſio ſubſecuta ædificationem Turris Babel; & cùm cœpit Diviſio fieri, ortus eſt Phaleg, ideòque pater ejus Heber, ei illud nomen impoſuit; & hic eſt verus ſenſus ejus, quod dicitur Gen. cap. 10. ver. 25., ut habet laudatus Aug., & pariter Joſephus, & alii, qui à Saliano citantur ad annum Mundi 1788. num. 3., non autem eſt ſenſus, quòd durante vitâ ipſius Phaleg facta ſit Diviſio, aliter non potiùs ipſe Phaleg ita fuiſſet appellatus, quàm tot alii, qui Diviſionis tempore vivebant, quam rationem advertit etiam ipſe Salianus ibidem num. 4. At poſtea ad annum 1931. num. 3. contrà D. Auguſt. exiſtimat Diviſionem quoad executionem fuiſſe ætatis Phaleg anno 144. Ejuſque argumentum de Diviſione factâ per filios Jectan fratris Phaleg, invalidum eſt, nam non eſt neceſſe omnes diviſiones ſimul factas: Prima Diviſio, & celeberrima fuit illa, quæ contigit tempore nati Phalegi; progreſſu temporis aliæ factæ, & poſtrema in Auſtralem Arabiam illa diviſio filiorum Jectan.

III. Neque aſſentiri poſſum Saliano, præfatam Diviſionem factam à Noacho ante confuſionem linguarum, nam ex occaſione ſolius hujuſce confuſionis facta eſt, ut docuit etiam D. Aug. loco citato, dum ait: *Quid aliud &c*; neque ulla alia ratio fuit, cur hæc familia hanc regionem,

alia

alia aliam peteret, quàm virium præpotentia, & humanæ politicæ verſutia in ſocietate illa, potiùs dicam in illa profanorum hominum colluvie; etenim ideò Nembroth Chami nepos obtinuit, quæ tunc erat præcipua Orbis, partem, Terram ſcilicet Sennahar, locumque Babel, fuitque primus Rex, & primus *Potens in terrâ*, quia erat *robuſtus venator coram Domino*, ut dicitur cap 10. Gen. ver. 9. h. e. ſolemnis prædo, ſatellitio vallatus, ſic Deo res diſponente in pœnam peccatorum. Regnum ergo arripuit tempore primæ, & celeberrimæ illius diviſionis, quæ contigit tempore nati Phalegi. Hinc addiſcimus, quando cœperit prima Monarchia (quæ poſtea Aſſyriorum nuncupata, quando Aſſur, aliàs Ninus egreſſus de terra illa, ubi regnaverat Nembroth, in Aſſyriam perrexit, ibique Ninivem ad Tigrim ædificavit) nativitati Phalegi ſynchrona, h. e. poſt annos 101. à Diluvio, & Mundi anno expleto 1757., & ante Abrami nativitatem 251.

IV. Nembroth autem diſtinguendus à Belo, ſeu Baal, præceſſit enim hunc annis 143. ideſt principium Regni Nembroth totidem annis præceſſit principium Regni Beli, nam Abramus natus anno Mundi 2008., &, ut ex Euſebio communiter ponitur anno 43. Nini, qui Aſſur appellatur Gen. cap. 10. ver. 11. Ante Ninum regnavit Belus pater ejus annos 65. ergo principium Regni hujus fuit anno Mundi 1900., principium verò Regni Nembroth, ut diximus, fuit anno Mundi 1757., ergo præceſſit annis 143. Hic nota Aſſur alibi nominari, nempe in eodem Cap. ver. 22 ubi

poni-

Digitized by Google

ponitur Aſſur inter filios Semi; non puto hunc Aſſur eumdem eſſe cum Aſſur ver. 11. quem multò juniorem eſſe oportet, cum regnarit annis 208. poſt Nembroth, qui fuit nepos Chami fratris Semi; ſimilitudo verò nominis arguit hunc ſecundum Aſſur, qui idem ac Ninus ex primo originem ducere, & per conſequens etiam Belum patrem Nini. Etſi igitur Babylonis Regnum cœperit in ſtirpe Chami, ad aliam pertranſivit ſtirpem, nempe Semi. Brochardus cap. 19. pag. 272. Aſſur ver. 11. interpretatur non hominis, ſed regionis eſſe nomen, & ita reddit Sacri textus verba aliter ac ſunt, nempe: *E terra illa* (è Babylonia) exiit (Nembroth ſeu Nimrod) in *Aſſur* h. e. in Aſſyriam; non enim ibi ſcriptum *in Aſſur*, ſed *Aſſur* pro nominativo; & taliter etiam in textu Hebraico ponitur.

V. Dionyſius Halicarnaſſæus initio Romanæ hiſtoriæ, dum Romanum Imperium comparat cum præcedentibus; de Aſſyrio reliquorum primo, ejus antiquitatem commendans, ait adeò antiquum, ut fabuloſa uſque tempora contigerit. Fabuloſa ea tempora Græci, Latinique ſcriptores appellant, de quibus nulla extabat memoria apud ipſos certa, & quicquid de illis narrabatur ferè fabuloſum erat. Varro in libello Cenſorini de die Natali Mythicum appellat illud tempus, quod Olympiades anteceſſit, à quarum initio ait incipere tempus Hiſtoricum. Livius initio primi libri Romanæ hiſtoriæ ſic ait: *Quæ ante conditam, condendamque Urbem poeticis magis decora fabulis, quàm incorruptis rerum geſtarum monumentis traduntur, ea nec affirmare,*

nec

nec refellere in animo eſt. Sacerdos ille Ægyptius in Platonis Timæo, quem Solo allocutus, Græcos ſpernit, cùm dicit primùm eos ſemper pueros eſſe; & poſtea, cùm inquit: *Ea ipſa, quæ modò ex veſtris hiſtoriis recenſebas a fabulis puerilibus, ò Solo, parùm diſtant.* Verùm & ipſe tanquam vera, fabuloſa admodum narrat de Dea quadam, quam Ægyptii Neithen, Græci Athenam nominant, quæ & Civitatem Athenienſem condiderat, & poſt mille annos Ægyptiam Saim in Saitica præfectura, quæ collocatur in ea Ægypti regione, quæ dicitur Delta; ædificaverat autem illam ex terra, & Vulcano accipiens ſemina; Additque poſterioris ejus Urbis in Ægypto res octo annorum millibus geſtas in Sacris (quas ipſe vocat) litteris contineri.

VI. Omnium hiſtoriarum antiquiſſima eſt Moſaica; ejus author cum eſſet Spiritu imbutus prophetico, quæ ethnicis ignota nobis enarravit; Nos itaque firmiorem habentes propheticum ſermonem, incertas, aut fabuloſas ethnicorum narrationes contemnimus; neque eorum admittimus chronologias, quæ Sacræ Scripturæ adverſantur. Rejicimus quoque computationem illam annorum, quæ fundatur in verſione Græca ſeptuaginta Interpretum, qui ideò numeros multò majores reddiderunt, quàm in Hebraico autographo, ut Sacram Scripturam conciliarent cum Ethnicorum, Ægyptiorum puta, hiſtoriis, quantum fuit poſſibile, quod quidem juxtà humanam prudentiam factum, non tamen juxtà veritatem. Dixi, juxtà humanam prudentiam, aliter propter vetus præjudi-

Digitized by Google

judicium, quo Gentis illius mens tenebatur, Sacram Scripturam in nullo habuiſſet pretio, ſi præfati Interpretes numeros expreſſiſſent, quales in Hebraico Codice reperiebantur. Putabant ſiquidem Ægyptii, vel nullum fuiſſe Diluvium univerſale, vel ſi fuit, adeò antiquum fuiſſe, ut tranſcenderet ſuæ regionis, ſuorumque Regum antiquitatem, quam ſibi fingebant, aut imaginabantur. Hinc ſeptuaginta Seniores exiſtimarunt addendos 450. annos antiquitati nati Phalegi, cujus tempore facta ſit Gentium Diviſio, ut comprehenderetur infra illud, quæ probabilis videbatur Regum ſucceſſio in hiſtoriis allata; quod ut facerent, 29. annis generationis Thare addiderunt 150. annos, ut fierent 179; ſingulis verò ex tribus antecedentibus centenos addidere annos, atque ita antiquitas nati Phalegi aucta annis 450. Porrò, ut eamdem ſervarent proportionem, etiam centenos aliis tribus prioribus generationibus Sale, Heberi, & Phalegi addidere; inſuper aliam perſonam, Cainanum ſecundum inter Arphaxad, & Sale, cujus generationi 130. tribuere annos. Quare majorem ſtatuentes Diluvii antiquitatem, quàm ex Hebraicis numeris ſupputatur, additis 880. annis, rationem plauſibilem in medium proferebant, cur illius nulla mentio apud Gentes, vel ſaltem confuſiſſima, ab ejus immemorabilitate deſumptam. Ante Diluvium propter idem proportionis motivum, idem quoque centenorum annorum additionem egerunt, exceptis illis generationibus, in quibus ſunt majores numeri.

VII.

VII. Ejuſdem prudentiæ, atque ſententiæ, ac olim ſeptuaginta Interpretes fuere moderni Miſſionarii in Sinas ingreſſi, qui novos ibi inſtruentes Chriſtianos, illis legendam præbent Sacram Scripturam potiùs juxta verſionem ſeptuaginta, quàm vulgatam; idque, quia illa natio conſtantiſſimè putat Sinarum Imperium cœpiſſe anno ante Eram Chriſtianam 2952., quo tempore perhibetur Fojus primus eorum Monarcha, quod verificari non poſſet, niſi admiſsâ ſeptuaginta Interpretum Chronologiâ. Rurſus narratur in ea natione antiquitùs floruiſſe Aſtonomiam; & refertur quædam obſervatio inter alias facta ſub Jao Rege, quâ notantur duæ Stelle fixæ cum locis earum relatè ad puncta ſolſtitialia, & æquinoctialia, quibus collatis cum locis, quos tenebant anno Eræ Chriſtianæ 1612., & ſpectato fixarum motu, P. de Urſis Jeſuita collegit ab ea obſervatione fluxiſſe annos Solares 3970., demptiſque annis 1612., factam obſervationem illam anno ante Chriſtum 2358. Sed Diluvium verè terminavit annis 2347. menſ. 1. & aliquot diebus ante Eram Chriſtianam; ergo illa obſervatio fuiſſet ante Diluvium annis decem. Sed ante Jaum fuere ſex alii Reges, quorum primus fuit ſupradictus Fojus, cuncti viri admodùm longævi. Neque incredibile multò antiquiores tenuiſſe hiſtorias Chinenſes, quàm Ægyptios, aut Chaldæos, nam iſtorum regio variis mutationibus, belliſque obnoxia, non ita Sinarum regio.

VIII. At major fides non debetur Chinenſium narrationibus, quàm Ægyptiorum; Chaldæo-

 rumve,

rumve, omnes enim pariter erraverunt à ventre, h. e. à prima origine, unde omnes prodierunt, & ita locuti ſunt falſa. Moſes ex Ægypto exivit, & tamen ſecum non tulit eorum errores, ſi tunc habuerunt Ægyptii; vel ſi nondum habuerunt, figmenta poſteriorum fuerunt. De Chinenſibus autem, forte non adeò antiqua illiuſmodi figmenta, ſiquidem narrat Voſſius non vulgaris ſcriptor in Tract. de Artibus, & Scientiis Sinarum, jam ante mille, & nongentos annos juſſu Regis Chingi, fuiſſe combuſtos libros continentes hiſtoriam, matheſim, aſtronomiam, muſicas, & complures alias ſcientias, exceptis iis, qui ad agriculturam, & rem medicam pertinerent; quare ab eo tempore in poſterum conficta fuiſſe, quæ ſpecialiter ab iis narrantur, mihi perſuadeo. Addit poſtea hæc notatu digna: *Vivit etiamnum, & nunquam in animis Sinarum extinguetur fatalis iſte tot ingeniis, & laboribus ignis; adeò magnum, & funeſtum ipſis videtur hoc librorum fuiſſe incendium, ut ne in futura quidem Mundi conflagratione tantum opum periturum exiſtiment.*

IX. Sed nota, neque ſufficere annorum numerum juxta verſionem ſeptuaginta Virorum, ad ſalvandas Chinenſes antiquitates; namque non poterat incipere Chinenſium Monarchia ante tempus Diſperſionis Gentium, quæ evênit tempore nati Phalegi; verè natus Phaleg anno 101. poſt Diluvium ex computatione fundatâ in textu Hebraico, & vulgatâ verſione; Diluvium terminavit anno 2348. ante Eram Chriſtianam; ergo Gentium diſperſio, ſeu Diviſio anno ante illam Eram 2247. Juxta ſeptuaginta hæc Diviſio, &

Phale-

Phalegi ortus tantummodò præceſſit hoc tempus annis 450., ergo fuit anno 2697. Verùm initium Monarchiæ Chinenſium refertur anno 2952.; ergo præceſſiſſet diſperſionem Gentium annis 255., quod fieri non poteſt. Igitur Miſſionarii confugere non poſſunt ad ſubſidium Græcæ verſionis, ut Chinenſium narrationibus annuant. Aliud ergo non ſupereſt effugium, quàm, vel quod excogitaverat Iſaacus Voſſius, quem citat Ricciolus, & reprobat Chron. Ref. lib. 5. cap. 1., vel olim apud Sinas in uſu fuiſſe annos minores duodecumeſtribus. Primum dici non poteſt propter ibi adducta à Ricciolo. Ergo, quando pro veris narrata ſint accipienda; ſecundum erit dicendum. Ad argumentum deſumptum ab Aſtronomica illa obſervatione ſub Jao Rege, de qua ſupra n. 6., reſpondetur, invalidum illud eſſe, niſi conſtet allatam obſervationem verè, & rectè factam, quod præſumi non poteſt; nam ſi apud Sinas Aſtronomia etiam nunc temporis rudis eſt, ſi comparetur cum ea, quæ apud Europæos viget, tunc in tanto temporum intervallo, vel nulla, vel ferè nulla erat.

CAPUT QUARTUM.

De Moſe, & Hebræorum Republica.

I. DUm adhuc perduraret prima illa Mundi Monarchia, quæ cœpit Babylone à Nembroth, quæque celebrior facta ſub Belo, qui Urbem illam perfecit; & deinde translata Imperii ſedes in Ninivem, quam ædificare cœpit Beli filius

Ninus, perfecitque Semiramis ejus uxor poſt ejus mortem. Dum, inquam, perduraret, modicam, ut ait Halicarnaſſeus, Aſiæ partem tenens, viguit in Ægypto Moſes inſignis ille, & celeberrimus Iſraelitarum Dux, & Legislator, cujus primus annus ejus videlicet Ducatus fuit, ut oſtendimus, Mundi 2513., & ante vulgarem Chriſti Eram 1491. Reipublicæ Hebræorum primordia in Abrahamo deprehendimus; at Reipublicæ formam non ſuſcepit, niſi poſt quinque ſæcula ſub Moſe.

II. Poſtquam Populus ille ſpatio annorum quadraginta Deſertam Arabiam peragraſſet ab Ægyptiaco egreſſu, ſub Duce Joſua Chananæorum terram occupavit, ſibique tribuit tanquam propriam, quam incoleret, regionem. Sed notatu dignum Terram illam dictam fuiſſe fluentem lac, & mel, videlicet miræ fœcunditatis, cum Strabo videatur oppoſitum enarrare lib. 16. De Moſe in-
Pag. 523. mibi quit: *in ea loca deduxit* (ſcilicet populum Hebræorum) *ubi nunc condita fuit Hieroſolyma, quæ facilè obtinuit, cum non eſſent æmulationi obnoxia, neque digna, de quibus contenderetur. Eſt enim locus ſaxoſus, aquis ipſe quidem abundans, cum regio circum ſterilis, ac ſicca ſit, & intra ſexaginta ſtadia* (h. e. milliaria ſeptem cum ſemiſſe) *etiam ſolum babeat lapidoſum infernè*. Sed non ſolùm occuparunt terram illam, quæ circa Hieroſolymam; ſed totam regionem, quæ poſtea Judæa appellata, de qua aliter ſcripſit Tacitus lib. 5. hiſtor., inquit enim: *Uber ſolum, exuberant fruges noſtrum in morem, præterque eas Balſamum, & Palmæ* &c. Neque verum eſt, Moſem duxiſſe populum in Terram illam, ſed ejus ſucceſſo-

ceſſorem Joſua; neque ſine armis, & cæde illam obtinuiſſe. Quare qui ex depulſis fuere ſuperſtites, ad littoralia confugêre, plurimiſque navigiis ad alias migrarunt regiones, ibique ſedes fixerunt, præſertim in Africa. Vide Bochartum par. 2. Geograph. Sacræ.

III. Prima quinque ſæcula quaſi puerilem ætatem, excepere alia quinque juventutis hujus Reipublicæ. Regimen adminiſtrarunt Judices, quos Hebræi *Softim* vocabant. Horum ſucceſſio uſque ad Reges perduravit; eorum munus potiùs moderatorum, quàm Principum; & quidem cum ferè continuum eſſet bellum cum finitimis, unius viri regimen requirebatur; Romanos quoque, etiamſi ipſis exoſa poteſtas, nomenque Regis, nihilominùs belli pericula coegerunt Dictaturas inſtituere, etſi ad tempus. Ad conſiſtentem ætatem cum ventum fuerit, æmulatio irrepſit alienæ gloriæ, Regem ſibi imponi poſtularunt, ſicut cæteris nationibus fieri videbant, Aſſyriis puta, quorum nomen tunc glorioſum; ſed de petitionis hujus inſaniâ monuit populum, Dei juſſu, Samuel, qui tunc Judex, ſeu Rector erat, exponens quale eſſet Jus Regium, jugumque, quod incauti efflagitabant, ſcirentque, ut Zozimi verbis utar, de Romanis locuti, *neceſſariò conſecuturum, ut bruta poteſtas ejus, qui rerum potiretur, calamitas publica foret;* *lib. 1. p. 2.* nihilominus eorum poſtulatis annuit Deus, Regemque eis tribuit Saulem, quo reprobato Davidem, à quo ſucceſſores orti, ſicut prædixerat Jacob Gen. cap. 49. ver. 10. innuens ſceptrum futurum in Tribu Judæ, in qua erat David. Huic immediatè ſucceſſit Sa-

lomon: fuit iſte Judæorum Principum glorioſiſſimus, ac fœliciſſimus, ſi ſapientiam ſpectes, ſi divitias, ſi Ditionis amplitudinem, quam ei patris virtus, laborque paraverant. Templum primus ædificavit Hieroſolymis immenſæ opulentiæ, ut ait Tacitus, etſi de ſecundo Templo reædificato iſte author locutus. In Salomone ſtetit ſummum augmentum Reipublicæ Hebræorum poſt mille annos ab ejus primordiis in Abrahamo. Inde ſenſim declinavit totidem ferè uſque ad interitum ſub Veſpaſiano Romanorum Imperatore, ut prædixerat Balaam Num. cap. 24., cujus vaticinium in Hebraiſmi adoleſcentiâ editum & augmentum, & finem proſpexit. At Daniel ſenectutem prophetavit, finemque; illam cùm ait cap. 9. ver. 20. *Septuaginta hebdomades* &c. finem verò cùm ait ver. 26. *Et Civitatem, & Sanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo; & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio*. Regna, & Imperia non aliter ſunt, ac homines; naſcuntur & ipſa, augentur, ad perfectam ætatem, & conſiſtentiam perveniunt; mox ſeneſcunt, & tandem intereunt. Religiones, & ſuperſtitiones diuturnioris vitæ ſunt, quàm Regna, quoniam illæ, cum in hominum corde radices egerint, armis non cedunt; hinc cum adhuc ſuperſtes ſit in Judæis vetus religio, antiqui eorum Regni, aut Reipub. manent etiamnum hæc veſtigia, & diruti ædificii velut rudera, quæ alioqui non eſſent, & cum aliis nationibus confunderentur; ſicut accidit Tribubus illis, quas in Aſſyriam olim tranſtulerat Salmanaſſar; iiſque qui Chriſtianis abdicatâ ſuperſtitione adſcripti fuere.

IV.

IV. Vidimus Reipub. Hebraicæ augmentum, & conſiſtentiam: Decrementum recentius ampliore percurremus narratione. Poſt Salomonis obitum Regnum ejus bipartitum; ea pars, quæ Tribus Judæ, & Beniamin complectebatur, illius filio Roboamo ſubdita remanſit; reliquæ decem Tribus ab eodem defecerunt propter notam in Sacra Scriptura cauſam, Regemque alium ſibi delegerunt Jeroboamum virum ſtrenuum; & ſic ex uno Regno, duo facta, quorum unum Iſraeliticum dicebatur, quia plures continebat Tribus; alterum Judæ, ſive Judaicum, quia in eo ſceptrum ſervabatur Judæ promiſſum ſtirpi; utrumque debilius; & ita Roboami *bruta poteſtas calamitas publica fuit*. Inter hæc duo Regna, ut fieri ſolet inter finitimos, creberrima diſſidia; tandem Iſraeliticum Regnum armis ceſſit Salmanaſſari Aſſyriorum Regis, & Tribus eò in captivitatem deductæ.

V. Quod attinet ad Chronologiam, in Exodi cap. 12. intelligimus Deum ipſum in nova Hebræorum Reipub. inſtitutione, anni formam eidem deinceps obſervandam propoſuiſſe aliam ab ea, cui aſſueti fuerant in Ægypto; ibi etenim annus non erat Luni-ſolaris, ſed purè Solaris nulla habitâ ratione ipſius Lunæ, quæ quidem eſt alterum Luminare, quod cum Sole à Deo productum, ut utrumque eſſet in ſigna, tempora, dies, & annos: nullâ profecto aliâ ratione annus in duodecim partes diviſus apud cunctas nationes, niſi quia duodecies Luna intrà Anni Solaris curſum, ſuum peragit circuitum reſpectivè ad Solem

ipſum, ab eodem recedens, atque denuò ad eumdem regreſſa. Inſuper apud Ægyptios Annus Solaris defectuoſus, nam Solis annuum circuitum non benè metiebatur, numerus ſiquidem dierum 365. integrorum tantùm non eſt ſufficiens, ſed præter ipſum adhuc fragmentum unius diei ſingulis annis ſupereſt, quo omiſſo, aliquantò brevior cum fuerit annus popularis vero anno; progreſſu temporis anni initium retrocedens vagabatur per omnes anni veri partes, donec rediret ad eamdem partem, ubi olim fuerat poſt plurimos annos; & tunc ſumma annorum Ægyptiorum unitate ſuperabat verorum annorum ſummam. Itaque in hoc cap. Deus inſtituit annum Luni-ſolarem verum reſpectu habito ad utrumque ſydus: ad Solem primùm cum juſſerit menſem illum deinceps habendum pro primo menſe anni, namque cum menſis ille, tunc eſſet menſis novarum frugum, anni initium vagari non poterat ſicut Ægyptiacum per alias anni partes, ſed affixus perpetuò juſſus tempori Verni æquinoctii, quo in iis regionibus novæ fruges erant. Ad Lunam porrò, quia quartadecima dies menſis à Phaſe (quæ eſt ſignum ſenſibile initii menſis Lunaris, ut diximus cap. 1.) quando Luna lumine plena eſt, ſignum ſtatutum ſummi ſacrificii, quo nempè immolabatur Agnus Paſchalis, immolati Chriſti figura: reliquæ ſolemnitates, feſtaque in Lege præcepta determinatis pariter Lunæ phaſibus alligantur, ut feſtum Tabernaculorum, ſicut Paſcha Plenilunio, ita illud oppoſito Plenilunio Autumnali. Dies ſolemnis jejunii diei decimæ ſeptimi menſis, quando Luna

eſt

eſt in Trigono Solis aſpectu: Feſtum Purim, ſeu Sortium Plenilunio præcedente Paſchale Plenilunium. In hac inſtituta Hebræorum Repub. corriguntur ethnicarum nationum errores, qui paſſim comittebantur circa anni formam: Vidimus ut quid anni Ægyptii corrigebantur: Nationes, quæ annum obſervabant Luni-ſolarem, perperam cum faciebant dierum 360. quantitatem ferè mediam ſeligentes inter quantitates anni Lunaris 354. dierum, & Solaris 365. totum dividentes in duodecim menſes tricenarios, unde eorum annus neque Solaris erat, neque Lunaris, neque verus Luniſolaris.

VI. Ut autem novæ hujus formæ anni mos faciliùs introduceretur, Dei diſpoſitione mirabili factum, ut vulgaris menſis Ægyptius Hebræis notus jam dudum ibi habitantibus, tunc inciperet cum menſe Lunari: menſis ille ab Ægyptiis Pharmuti vocabatur, eratque octavus ordine in eorum vulgari anno Id autem hìc oſtendere opus eſt. Conſtat apud Ægyptios antiquiſſimam fuiſſe eam anni formam, & conſequenter etiam Moſis tempore, qua annus ex duodecim menſibus tricenariis componebatur, poſt quos appendix quinque dierum. At quia intercalatio unius diei ſingulis quadrienniis ab iis non obſervabatur, ſecus ac poſtea à Romanis in anno ſuo Juliano; Ægyptiorum anni vagi erant relatè ad annos Julianos, itaut tandem ſpatio annorum Julianorum 1460. Initium anni Ægyptii tantum retrocederet, donec reſtitueretur ad eumdem poſitum in anno Juliano, ſicut ab initio; atque ita annorum Ægyptiorum

rum quantitas 1461. æqualis erat Julianorum quantitati annorum 1460. Extrà omnis dubii aleam eſt, annum Ægyptium vagum hunc, anno Per. Jul 3967 & ante Eram Chriſti vulgarem 747. cœpiſſe proleptice die 26. Februarii feria quartâ, h. e. eam diem fuiſſe primam primi menſis Thot; fuit enim Era Nabonaſſari Aſtronomorum celeberrima, de qua ſuo loco dicemus, Annus Exodi fuit Per. Jul. 3223., & ante Chriſtum 1491. ut diximus cap. pr., qui proinde præceſſit annum Eræ Nabonaſſari primùm annis 744. Anni Juliani 1460. important præventionem primæ diei menſis Ægyptii Thot dierum 365. quot dierum præventionem importabunt anni Juliani 744? Per regulam auream invenimus importare dierum 186. præventionem. Ad anteriora igitur retroceſſit dies prima Thot in Anno Juliano proleptice conſiderato relatè ad diem, quo erat anno Exodi diebus 186, itaut perveniret ad diem 26. Februarii; numerabis ab hac die incluſivè in ſubſequentes anni Juliani partes dies 186., & complebuntur in die 30. Auguſti; igitur tempore Exodi prima dies menſis Thot, qui fuit primus menſis anni Ægyptii erat eadem ac 31. Auguſti anni Juliani proleptice. Ergo menſium computo peracto, incidit prima dies menſis octavi Pharmuti in diem 29. Martii Juliani proleptice. Ex Tabulis Novilunium Aſtronomicum medium contigit die 26. Martii hor. 6. $\frac{1}{2}$ p. m. in Ægypto anno Exodi; at Novilunium verum ſeriùs, nempè circa medinoctium ſubſequens; ergo prima Lunæ phaſis (quæ non citiùs evenit unâ die naturali horarum 24. à verâ Synodo etiam

tem-

tempore Verno) obſervari non potuit veſpere diei 27.; & nonniſi veſpere diei 28.; ergo Neomenia Civilis cadit in diem 29., qui more Hebraico incipit à veſpere diei 28 Atqui ea dies erat item prima menſis Pharmuti; ergo menſis Ægyptius concidebat cum Lunatione, ſeu menſe Lunari, qui Paſchalis erat, eò quòd Vernum æquinoctium, ſeu Solis ingreſſus in Arietem, contigit mane ante Solis ortum diei quartæ Aprilis, & poſt ipſum, decimaquarta fuit dies Aprilis undecima, feria ſeptima cum eſſet Cyclus Solis 3. & litt. Dom. D. Itaque ab initio nullâ factâ mutatione menſium, ſenſim atque inſenſibiliter apud Hebræos introducta anni Luni-ſolaris forma.

CAPUT QUINTUM.

De progreſſu, & fine Imperii Aſſyriorum; & de Imperio Medo-Aſſyrio uſque ad initium Perſici.

I. IMperium Aſſyriorum, quod à Nino, qui & Aſſur, denominatum, cœptum, ut vidimus, à Nembroth, cujus Regni ſedes fuit Babylon ad Euphratem collocata, uſque ad Belum. Hoc defuncto, ejus filius Ninus ſedem tranſtulit aliò, nempe Ninum, ſeu Ninivem ab ipſo ædificatam, & denominatam; in loco editiore ad Tigrim eam placuit collocare, etiam nova Babylon ab aliquibus vocatur. Erat trans Tigrim, ut notavit Tavernerius ex ejus ruderibus; in adverſâ autem ripâ cis Tigrim ædificata poſtremò Urbs

Moſſul

Moſſul appellata ſub ditione Turcarum in regione Diarbekia, quæ eſt Meſopotamia antiquorum; diſtat Moſſul à Bagdat, quæ etiam ad Tigrim, milliaribus centum ad Boream. Bagdat à pluribus Babylon appellatur, cum vera Babylon exciſa ſit, ejuſque rudera etiamnum videntur ad Euphratem, ubi Urbs illa vetus erat in diſtantia à Bagdat milliar. 42. ad Meridiem, & aliquantulùm ad Occaſum. Perduravit autem hoc Imperium uſque ad Sardanapalum ultimum Regem; &, ut advertit Halicarnaſſeus, nonniſi modicam Aſiæ partem occupavit; quare tantò minùs amplum, quantò majus quoad durationem.

II. Itaque antiquitate omnium celeberrima fuit illa Orbis pars, ubi Aſſyria, & Babylonia; nam poſt Diluvium ex Armenia profecta Noachi ſoboles, campeſtrem inquirebat regionem, ubi commodè habitaret, primùmque in Curdos, h.e. in regionem amplam, quæ nunc dicitur Curdiſtan ſub ditione Turcarum in confinio Perſiæ, ubi eſt Bagdat; mox cis Tigrim in terram Sennahar inter Tigrim, & Euphratem, ubi Turrim, & Babylonem condiderunt. Mox à Nino Regni ſedes Ninivem translata, & à Semiramide ea Urbs firmis vallata mœnibus. Euphrates, & Tigris, uterque effunditur ex Armeniæ montibus, ſicut Araxes; at hic in Boream, & Ortum prolapſus; illi in meridiem, coeuntque infrà Babylonem; & tandem in Sinum Perſicum ſeſe exonerant. Euphrates, & Tigris fuere duo capita, in quæ diviſus Paradiſi terreſtris fluvius; reliqua duo capita, Phiſon, & Gehon fluvii obſcuri manent. De primo dicitur

dicitur circuiſſe terram Hevilath, ubi naſcitur aurum optimum &c. hæc regio eſt pars Arabiæ fœlicis. De Gehon dicitur circuiſſe terram Chus; etiamnum hæc terra retinet antiquum nomen, nempe Chuſiſtan, à Græcis Sus, & Suſiana appellata, pars Regni Perſici. Ubi ſint hæ regiones, notum eſt. Terræ faciem in hiſce locis ab antiquiſſimis temporibus ad noſtra uſque eſſe valde immutatam putandum eſt. Ubi nunc Sinus Perſicus, ipſe Paradiſus erat, & ita ſupra ipſum dividebatur Fluvius in quatuor capita, duo ex Septemtrionalibus plagis profluebant, nempe Tigris, & Euphrates; Phiſon unde eſt Arabia; Gehon ab oppoſito latere, ubi Suſiana, ſeu Chuſiſtan. Paradiſum irrigabat Fluvius ille magnus ex quatuor præfatis compoſitus; inde egreſſus in Oceani Sinum tandem effundebatur, qui nunc vocatur *Golfo delle Perle*, ſive Ormuzii.

III. Ut redeamus quò digreſſi ſumus. Sub Sardanapalo, Arbaces Mediæ Præfectus ab eo propter ejus ſocordiam, & vitia deficiens, arma in eum tulit, Ninivem obſedit, cœpitque, Rege ſemet necante, priſcum illud Aſſyriorum Regnum delevit; neque ſolus id egit, ſed Beleſi potiſſimùm auxilio, qui Babyloniæ Præfecturam gerebat; & ex antiquiſſima illa Aſſyriorum Monarchiâ ortum novum Corpus Politicum, ſive Dynaſtia, triplex, ex Medis, Aſſyriis, & Chaldæis compoſita. Quod ad tempus hujus eventus, notanda ſunt verba Dionyſii Halicarnaſſei, quæ de Regno Aſſyriorum ad Medos translato ſubjungit illis, quæ ſupra attulimus cap. 3. num. 5. ait enim: *non longo duravit*

tem-

Digitized by Google

tempore, ſed in quarta ætate deſiit. Ætas pro ſæculo, h.e. annorum centuriâ accipitur, ut in Theſauro. Latinæ linguæ docetur; unde ſignificatur Regnum illud Medo-Aſſyrium in quarta annorum centuriâ deſiiſſe; deſiit autem partim cùm ſublato Aſtyage Mediæ Rege, eâ eſt potitus regione Cyrus; & totaliter anno 537. ante Eram Chriſtianam, ut videbimus Babylone captâ ab eodem Cyro Perſarum Rege; ergo præfata rerum mutatio per Arbacem, & Socios facta fuit ſæculo illo, quod intercipitur annum 937., & annum 837., quicquid ſit de anno determinato, quem Ricciolus in ſua Chronologia exiſtimavit fuiſſe annum 863.

IV. Narratur etiam, Arbacem Beleſo contuliſſe, vel confirmaſſe Babylonis Præfecturam; & alteri Præfecturam Aſſyriæ, nempe Phul-Belocho; ipſum autem Arbacem intrà Mediam moderatè degentem ſuos Medos libertate donaſſe. Præfectorum Aſſyriæ, & Babyloniæ poſteri ex Præfectis ſe Reges fecerunt. In Aſſyria legimus in Sacra Hiſtoria lib 4. Regum cap. 15. ver. 19. Regem fuiſſe Phul, cujus fortè fuit Avus Phul-Belochus ille, cui Arbaces tradidit Præfecturam. In Babylonia primus Rex fuit Nabonaſſarus, cujus idcircò celeberrima eſt Epocha apud Aſtronomos, Hipparchum, & Ptolomæum, à qua ſupputantur anni Ægyptii, & tempora, quibus peractæ obſervationes Aſtronomicæ Eclipſium, aliorumque. Era Nabonaſſari firmatur, ut ſupra tetigimus, in prima die menſis primi Thot Ægyptii reſpondente diei 26. Februarii anni Juliani proleptice

lepticè conſiderati intrà annum primum labentem octavæ Olimpiadis, terminandum circa proximum æſtivum ſolſtitium, qui annus eſt ante Eram Chriſtianam 747. Per. Jul. 3967., & Græco-Rom. Pagii 4747., & dies illa erat feria quarta. Nabonaſſarus in Sacra Scriptura Baladan nominatur lib. 4. Reg. cap. 20. ver. 12., cùm dicitur *Merodak filius Baladan Rex Babyloniorum*, quod nomen fortè idem eſt, ac Beleſus, à quo Nabonaſſarus originem trahebat, ſicut Phul ab ejuſdem nominis alio. Itaque ex una Aſſyriæ Monarchiâ exorta duo Regna, Aſſyriæ propriæ videlicet, & Babyloniæ, ſeu Chaldæorum, & una Reſpublica nempe Medorum, quæ ipſa quoque in Regnum evaſit, ubi ultimus Rex fuit Aſtyages à Cyro devictus.

V. Phul, quem hujus nominis ſecundum voco, fuit Rex Aſſyriæ, eſtque primus Rex Aſſyriorum, qui in Sacra Scriptura nominetur, loco ſupra citato dicitur: *Veniebat Phul Rex Aſſyriorum in Terram* (Iſrael), *& dabat Manahem Phul mille talenta argenti, ut eſſet ei in auxilium, & firmaret Regnum ejus*. Fuit expeditio illa Phul poſt 39. annum Azariæ Regis Juda, ut patet ex verſ. 17. Ad horum Chronologiam dignoſcendam: Notandum à diligenti Chronologo recentiore exhiberi tres Periodos, in quas dividit totum tempus, quod effluxit inter jacta Templi Salomonici fundamenta, & ejuſdem conflagrationem ſub Nabuchdonoſore.

Prima Periodus terminatur ad duorum Regum interitum, qui eodem tempore occiſi ſunt, ſcilicet Ochoziæ Regis Juda, & Joram Iſraelis, quæ complectitur annos 127. menſ. 11. dies 17.

Secun-

Secunda ab hoc eventu uſque ad expletum annum ſextum Ezechiæ Regis Juda, & ad interitum Hoſeæ ultimi Regis Iſrael, ejuſque Regni excidium; complectitur ſpatium annorum 163. menſ 2. d 10.

Tertia ab hoc excidio ad Templi præfatam conflagrationem continet annos 133 menſ 1. d. 11. ſumma, quæ provenit eſt annorum 424. menſ. 3. d. 8.

Modò 39. Azariæ annus fuit 107. Secundæ Periodi ex Tabula Chronologica laudati Authoris. Diſponantur numeri annorum cum menſibus, dierum non habitâ ratione

2512. menſ. 6. à Mundo condito ad Exodum.
479. menſ. 2. ab Exodo ad fund. Templi.
127. menſ. 11. $\frac{1}{2}$ primæ Periodi.
107. partis ſecundæ Periodi

3226. menſ. 7. $\frac{1}{2}$ fiet ſumma annorum à Mundo condito; quare labente Vere anni Mundi 3227. completus fuit annus 39. Azariæ; hinc labente Vere anni ante Eram Chriſti 777., quo contigit præfata expeditio Phul Regis Aſſyriæ. Intelligimus itaque Regem illum priorem fuiſſe Nabonaſſaro, atque hunc nondum fuiſſe Chaldæorum Regem; & circà hæc tempora cœpiſſe Iphiti Eram, Olympiadum videlicet, quæ anno ante Chriſtum 776. cœpit Solſtitii tempore.

VI. Poſt Phul regnavit Theglat-phalaſar, de quo lib. 4. Reg. cap. 15. ver. 29., qui cœpit in captivitatem tradere Iſraelitas, ut ibi narratur; deinde eſt de eodem ſermo in cap. 16. Poſt hunc regna-

Digitized by Google

regnavit Salmanaſſar, de quo cap. 17. ver. 3., & ver. 6., item cap. 18. ver. 9., ubi narratur oppugnatio Samariæ, & in ſequentibus Iſraelitici Regni excidium, Hebræorum captivitas, atque in Aſſyriam translatio, & collocatio in civitatibus Medorum, quia Media erat Regi Aſſyriæ fœderata, ſicut etiam Chaldæorum regio, utpotè membra omnia veteris Monarchiæ; etſi poſtea regnantium ambitione ruptum fœdus, ut narrabitur. Quod attinet ad tempus excidii præfati, hujuſque Iſraelitarum captivitatis ſub Salmanaſſare, patebit ex hac ſupputatione

2512. menſ. 6. à Mundo condito ad Exodum.
479. menſ. 2. ab Exodo ad Templi fund.
127. menſ. 11. $\frac{1}{2}$ primæ Periodi, ut ſuprà.
163. menſ. 2. $\frac{1}{3}$ ſecundæ Periodi

3282. menſ. 10. à Mundo condito, & ante Chriſtum 721.

VII. Poſt Salmanaſſarem regnavit Sennecherib, qui admodùm vexavit Judæos, eorumque Regem Ezechiam; verùm præter minas nil poſuit contrà piiſſimum Regem, imò ejus impietas à Deo mirabiliter punita horrendâ, immanique ejus exercitus ſtrage, atque ipſemet quamprimùm à propriis filiis interemptus; eique ſucceſſit filius Aſarhaddon lib. 4. Reg. cap. 19. in fine. Itaque quemadmodum Regis Judæ pietas fecit, ut ejus Regnum ſtaret, ita Regis Aſſyriorum impietas fecit, ut eo miſerè mortuo, Regnum ejus deſtrueretur, ut ſtatim videbimus. Interim ægrotavit Ezechias, uſque ad mortem, ut dicitur initio cap. 20. & mirabi-

rabiliter ſanatus, poſtea vixit annos quindecim. Circa hoc tempus, ut narrat Joſephus Antiq. lib. 10. cap. 3 contigit, ut Aſſyriorum Regnum finem habuerit per Medos, puto etiam per Babylonios cum Medis fœderatos; hi enim arreptâ occaſione calamitatum, quibus infirmavit Deus Aſſyriorum Regnum, exiſtimantes id eſſe tempus, quo quiſque facillimè proximi ſui ſpoliis ditari poſſet, rupto fœdere, junctis viribus Regnum illud invadunt, ſibi Aſſyriam dividunt, cujus pars Mediæ vicinior, ejus Regi ſubjecta, reliqua Caldæorum regioni propinquior, Babyloniæ Regi. Ninive fuit devaſtata, ut prædictum à Nahum Propheta.

VIII. Qui tunc apud Caldæos regnabat, erat Merodak, qui ad Ezechiam recenter ſanatum literas miſit, & munera, amicitiam vicinorum Principum captare cupiebat; etenim lætus novâ poſſeſſione, non cogitabat de aliis regionibus invadendis. Cœperat iſte regnare ante Eram Chriſtianam anno 721., ut ex Ptolemeo certò conſtat apud Ricciolum lib. 5. cap. 6. concluſ. 6. h. e. anno eodem captivitatis Iſraelitarum, ſeu anno ſexto Ezechiæ.

IX. Ex ſubſequentibus Babyloniæ Regibus nullus in Sacra Scriptura affertur uſque ad illum, contrà quem in diebus Joſiæ Regis aſcendit Pharao–Nechao Rex Ægypti cap. 23. v. 29, qui non nominatur, ſed tantùm dicitur Rex Aſſyriorum, unde intelligimus Regem Babyloniæ, tunc poſſediſſe partem Aſſyriæ, ut ſuprà notavimus. Quinam verò fuerit ille Rex? Vel fuit Napopolloſar, ſeu Nabuchdonoſor ſenior, vel fuit ejus præceſ-

ſor

ſor Chyniladarus, uterque enim disjunctivè regnavit in diebus Joſiæ. Certum itidem eſt Napopollaſar, ſeu Nabuchdonoſor ſeniorem regnare cœpiſſe anno 625. ante Eram vulgarem Chriſti ex Ptolemeo, h. e. 122. Eræ Nabonaſſari, ſive ab initio Regni Chaldæorum, non autem 103. ut in Canone Ptolemaico incorrecto.

X. Nabuchdonoſoris iſtius ſenioris filius, & ſucceſſor fuit Nabuchdonoſor celeberrimus ille Babyloniorum Rex, ſub quo ſervitus, & captivitas Judæorum, & deinde Templi conflagratio. Hujus primus annus ex Jeremia cap. 25. v. 1. coincidit cum quarto Joacimi Regis Juda filii Joſiæ; eſt autem hic annus 115. tertiæ ex Periodis, de quibus ſupra, h. e. Mundi conditi 3398. labens annus, & ante Eram Chriſtianam 606. item labens, quo tempore prædixit Jeremias eodem cap. 25. v. 11. futuram Judæorum ſervitutem ſeptuaginta annorum; hinc addiſcimus ejus patrem non regnaſſe, niſi annos 19. non autem 21., ut ponitur in Canone incorrecto. In principio Regni Nabuchdonoſor communiter ſtatuunt Authores initium ſeptuaginta annorum ſervitutis, & verè, nam Daniel cap. 1. narrat veniſſe Nabuchdonoſor anno tertio Joacim, h. e. completo, & labente quarto, quare annus 606. ante Chriſtum fuit primus annus ſervitutis, quare finis ſervitutis, ſeu ultimus fuit 537., quo Cyrus Perſarum Rex cœpit Babylonem, & ſubſequens fuit annus primus liberationis, nempè 536., & Cyri etiam primus, de quo initio lib. Eſdræ. Templi verò Conflagratio, quæ contigit anno 19. Nabuchdonoſor, fuit anno 588. menſe 5. *4. Reg. c. 25. v. 8.*

 XI.

XI. Defuncto Nabuchdonoſor ei ſucceſſit Evilmerodak ejus filius, objit ille, poſtquam regnaſſet annos 44., nam eodem cap. ver. 27. ann. 37. tranſmigrationis Regis Joachim fuiſſet 45. Nabuchdonoſor, ſi tunc vixiſſet, cum contigerit ea tranſmigratio anno octavo, ut dicitur cap. 24. ver. 12., ſed tunc erat primus annus præfati ſucceſſoris ex citato verſ. 27., ergo obierat anno præcedente Regni ſui 44. Evilmerodak in tertio anno Regni ſui occiſus à Nirigliſſaro ſororis ſuæ marito, qui pro filio ſuo Nabuchdonoſoris nepote ex filia adhuc pupillo Regnum adminiſtravit quatuor annos, quo extincto regnavit adoleſcens filius nomine Balaſſar, dictus etiam Balthaſſar, quo propter laſcivias à conjuratis interempto, Darius Medus, qui & Nabonadius conjurationis princeps, Rex evaſit; hic nominatur à Daniele cap. 9. *In anno primo Darii filii Aſſueri de ſemine Medorum, qui imperavit ſuper Regnum Caldæorum &c.* Sed cap. ſeq. exhibebimus Prolemaicum Canonem, ſive Chronologicam Tabulam à Nabonaſſaro uſque ad Alexandrum Magnum correctam, omiſſis tamen illis Regibus, qui fuere inter Mardokempadum, & Nabopollaſar, quorum notitia aliunde non habetur. Ibi addemus annos, tum Periodi Julianæ, tum ante Eram Chriſtianam, ut clariùs appareant tempora relatè ad Epocham, quæ nobis eſt notiſſima, & vulgatiſſima.

XII. In anno igitur 537. ante Eram Chriſtianam terminavit Imperium Medo-Aſſyrium, quod in homine Medo incœptum, in homine Medo deſiit. Trium ſæculorum ætatem ſuperavit, quæ breviſ-

breviſſima relatè ad ætatem Imperii Aſſyrii, à quo ipſum exortum, quæ ferè attigit quatuordecim ſæcula, ſi uſque ad Nembroth pervenire voluerimus. Præter terras, quas occupavit vetus Imperium Aſſyrium, iſtud Medo-Aſſyrium in alias regiones versùs Occidentem Solem dilatum, Syriam, Iſraelis terram totam (quæ Judæa mox appellata) Arabiam, & Ægyptum complectebatur. Legens cap. 7. Danielis noto in ver. 4. expreſſum Regnum Medo-Aſſyrium in Beſtia prima quaſi Leæna habente alas Aquilæ: Leæna propter feritatem, & rapacitatem: alas Aquilæ habente propter velocitatem in rapiendo, citiſſimè enim præfatas regiones devoravit. Deinde addit Propheta: *& ſuper pedes quaſi homo ſtetit, & cor hominis datum eſt ei.* hic eſt Darius Medus, qui ad pedes Beſtiæ, quia fuit ultimus Rex, neque de eo dici poteſt, fuiſſe membrum illius Beſtiæ, ſicut Reges præteritos omnes tyrannos, ſed verè hominem, quia fuit verus Princeps, neque ullatenus tyrannus, ut patet legenti cap. 6. ejuſdem Danielis.

CAPUT SEXTUM.

Refertur Monarchiæ Perſicæ exortus; & exhibetur Canon Ptolemaicus correctus, à Nabonaſſaro primo Chaldæorum Rege, uſque ad Alexandrum Magnum.

I. CYrus cum jam ſubjugaverit Medos, & demùm Babylone biennali obſidione captâ, Regnum Chaldæorum everterit, ſecundam funda-

vit Monarchiam, Regno ſuo Perſarum, Medo-Aſſyrium Imperium cum novis iſtius poſſeſſionibus adjiciens. In Perſide regnare cœpit, ut ſatis conſtat ex authoribus, eo anno, quo Olympias quinquageſima quinta fuit celebrata, & primus annus 55. Olympiadis fuit quoque primus annus Regni Perſici ipſius Cyri, ergo cœpit regnare anno 560. ante Eram Chriſtianam; & ſi primus annus Cyri fuit quoque primus annus dictæ Olympiadis, complexus ille eſt partem poſteriorem anni Juliani 560., & priorem anni ſubſequentis 559., cum annorum Olympicorum initium ſit circa Solſtitium æſtivum, anni Juliani circiter dimidium.

II. Omnes authores, quos citat Ricciolus lib. 5. cap. 7. num. 1. narrant Cyrum regnaſſe annos triginta præter unum Herodotum lib. 1. qui unde triginta omninò, h. e. 29. ſolidos, poſt quos interemptum refert; oportet ergo mortuum terminato anno 530., h. e. ſeptennio poſt captam Babylonem completo. In Canone Ptolemaico ponuntur novem anni Cyri, ſed hi ſumuntur ab initio obſidionis, non ab Urbe captâ, ut benè advertit Ricciolus.

Canon Ptolemaicus correctus,

Sive Chronologia Regum Chaldæorum, eorumque Succeſſorum Perſarum ad Alexandrum M. uſque.

III. Nabonaſſarus cœpit regnare anno ante Eram Chriſtianam 747. d. 26. Februarii anni Juliani prolepticè, h. e. anno Periodi Julianæ 3967., & anno

anno Mundi 3257., qui complebatur Autumno ſubſequente.

	Anni Per Jul.	Ante Eram vulgarem.
Nabonaſſarus itaq; cœpit regnare	3967.	747.
Regnavit annos	14.	
Nadius	2.	
Chozirus, & Porus	5.	
Iluleus	5.	
Cuncti ſimul regnarunt annos	26.	
Merodak, ſeu Mardokempadus cœpit	3993.	721.
Ipſe, & ſucceſſores uſque ad Napopoloſſarum ſimul ſumpti regnarunt annos	96.	
Napopolaſſarus, qui & Nabuchdonoſor ſenior regnare cœpit	4089.	625.
Regnavit annos	19.	
Cœpit regnare Nabuchdonoſor junior	4108.	606.
Eodemque anno cœpit Judæorum ſervitus annorum	70.	
Ergo primus Annus Cyri Perſarum &c. Monarchæ	4178.	536.

Digitized by Google

In hoc intervallo Annorum ſeptuaginta regnavit Nabuchdonoſor junior annos 44., reliquorum 26. intervallo regnarunt Evil-merak, Nigloſſarus, Balaſſar, & Nabonadus, qui & Darius Medus ſimul ſumpti.

Perduravit ergo Regnum Chaldæorum annos 211.
Regnavit Cyrus poſt obtentam Babylonem, & Monarchiam annos ſeptem, quare objit in fine anni —— 4184. —— 530.

Cambyſes Cyri filius, & Smerdes Magus regnarunt annos — 8.

Cœpit regnare Darius Hyſtapides 4192. —— 522.
Regnavit annos —— 36.

Succeſſit Xerſes filius —— 4228. —— 486.
Regnavit annos —— 21.

Artaxerſes Primus, ſeu Longimanus —— 4249. —— 465.
Regnavit annos —— 40.

Xerſes II. & Sogdianus —— 4289. —— 425.
Regnarunt annum unum —— 1.

Darius Nothus —— 4290. —— 424.
Regnavit annos —— 19.

Artaxerſes II. —— 4309. —— 405.
Regnavit annos —— 40.

Ochus —— 4349. —— 365.

Re-

Regnavit annos ————	26.	
Arſes ————————	4375.	—— 339.
Regnavit annos ————	3.	
Darius Arſami filius ———	4378.	—— 336.
Regnavit annos ————	6.	
Deviĉto Dario cœpit Monarchia Alexandri Magni ———	4384.	—— 330.

Perduravit ergo Perſarum Monarchia annos 206.

IV. Danielis cap 7. Oſtenſa Danieli in viſione, Perſarum Monarchia ſub ſpecie ſecundæ Beſtiæ, quæ erat Urſus. Cur autem id? Reſpondent aptiſſimè Talmudici in lib. de Idolatria, cap. pr., & in *Kidduſin* cap. 4 quia edunt, & bibunt Perſæ Urſino more, & pingues ſunt, ut Urſi. Delphicum Oraculum apud Herodotum lib. 6. vocat Perſas Crinitos, ita enim loquitur ad Mileſios: *Tuæ autem uxores multis Crinitis pedes lavabunt*, ideſt multis Perſis. Ab eodem Propheta cap. 2. v. 39. dicitur Regnum Perſicum minus præcedente Medo-Aſſyrio, quia hujus fuit major duratio, majorque virtus, & fortitudo, etſi plures regiones in illo continerentur; idcirò Medo-Aſſyrium auro, Perſicum argento comparatur.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

De rebus Romanis, ubi de primordiis Urbis Mutinæ.

1. AB Oriente ad Occidentem digrediamur, cap. etenim ſequente ad Orientis res revertemur. Cum adhuc ſtaret in Oriente Perſarum Monarchia, Romana Reſpub. adhuc adoleſcens adeò gravem paſſa eſt ægritudinem, ut parùm abfuerit, quin immaturo fato eriperetur. Gallorum tranſmigrationem in Italiam, quæ cœpit olim tempore Tarquinii Priſci Quinti Romanorum Regis, novimus ex Livii lib 5 tum ex Plutarcho in Vita Camilli. Non eodem tempore, neque unus populus ex tota Galliâ Alpes ſuperavit; verùm plures, atque unus poſt alium. Præcipui fuere Inſubres, Cenomani, qui regionem tranſpadanam occuparunt uſque ad fines Venetorum; & Boii, qui noſtram Ciſpadanam. Provincia circumpadana, quæ propterea Gallia Ciſalpina, ſeu Citerior fuit vocata à Romanis, ante Gallorum adventum ab Hetruſcis colebatur, perquàm nobili, & antiquâ Italiæ gente, opibus, ac potentiâ præcellenti; hæc utrumque attingebat mare; Inferum ab ipſis nomen Tuſci, & Thyrrheni ſumpſit; Superum Adriaticum appellatum ab Adria eorumdem colonia, quemadmodum nunc Sinus Venetus à Venetiis. Duodecim hinc inde ab Apennino eorum coloniæ numerabantur Livio, vel decem, & octo Plutarcho. Metropolis cis Appeninum fuit
l.3. c.15. Felſina ex Plinio; poſteà Bojorum, ab ipſis Bojonia,

nia, & Bononia nuncupata ex Volaterrano. Quænam fuerint reliquæ coloniæ, apud veteres non reperitur præter Mantuam, & Adriam. De Mantua ait Plinius cap. 19. *Mantua Tuſcorum trans Padum ſola reliqua*, quia ejus ævo Adria oppidulum evaſerat, & ita cognominatur à Strabore, qui Plinio prior. Melpum etiam, nunc vicum vulgò *Melzo* propè Abduam fluvium, conjicio unam ex Tuſcorum coloniis, nam idem Plinius ſic habet: *Melpum opulentiâ præcipuum, quod ab Inſubribus, & Bojis, & Senonibus deletum eſſe eo die, quo Camillus Vejos cœperit, Nepos Cornelius tradidit.* Equidem in ea regione Gallis nulla res, niſi adversùs Tuſcos, quos è ſuis ſedibus depellerent, & regionem occuparent. Deinde cunctorum Gallorum poſtremi fuere Senones, qui cum inveniſſent totam regionem Tuſcorum à prioribus occupatam, Umbrorum ſedes tenuerunt ab Arimino, penè ad Anconam uſque, vel determinatè ad Æſim fluvium. Verùm quoniam ea regio inter montes, & mare ipſis viſa arctior, quàm ut commodè in ea degere poſſet tota gens, Apenninum tranſgreſſa in fines Cluſiorum penetrarunt, partemque eorum agri ab iis petere auſi. Illi viribus propriis diffiſi, ut novum, ac terribilem hoſtem repellerent, ad auxilium confugêre Romanorum, utpotè quorum fortia facta in iis regionibus notiſſima. Romani tribus legatis eò miſſis, quò pacificè ſuaderentur barbari, ut à poſtulatis deſiſterent, neque Cluſios moleſtarent; illi munus ſuum ferociùs, quàm par erat, tractantes, ad contentionem, ad jurgia, imò ad cædem uſque proceſſerunt; quare Galli

l.4. Geog.

cap. 17.

in ſe

in ſe violatum jus gentium cauſantes, & compenſationem poſtulantes deditionis trium ipſorum legatorum, qui erant tres Fabii, nil obtinuere; imò illi ad ſupremum Reipub magiſtratum evecti. Injuriam hanc non ferentes Galli, Romæ bellum intulerunt, de quo vide Livium lib. 5. Circa quod mirari licet inſolitam Romanorum imprudentiam, & incircumſpectionem in hoc bello, quod præfatus Scriptor animadvertens inquit: *adeò occæcat animos fortuna, ubi vim ſuam ingruentem infringi non vult*. Erat hic annus, quo Tribuni militum auctoritate Conſulari tres Fabii, & præter ipſos Sulpitius, Servilius, & Cornelius, Urbis conditæ 365., & ante Epocham Chriſtianam 389. qui præceſſit finem Imperii Perſarum ann. 59. & tunc regnabat Artaxerſes II. cognomine Memnon.

II. Poſt horribilem cladem, immanis hoſtis effracto impetu, qui à cæde ſuperſtites Romani, favente fortunâ, paulatim animum, & vires reaſſumpſere, in patriam ab exilio Camillum revocarunt, qui mox tanquam novus Romulus penè mortuam patriam ſuſcitavit, gloriam ſecundi Romæ Conditoris adeptus. Contra Gallos tamen diuturnum fuit bellum; donec tandem vel pulſi, vel ſubacti, vel ad internecionem uſque deleti, ſicut Senones, à quibus Romæ tanta fuerat clades illata, anno, quo Conſs fuere Dolabella, & Domitius Calvus, h. e. anno U. C. 471, ante Chriſtum 283, ait Florus: *Omnes reliquias Senonum ad Lacum Vadimonis Dolabella delevit, ne quis extaret in ea gente, qui incenſam à ſe Romam gloriaretur*. Vadimonis

monis Lacus cernitur ad meridiem Ortæ, & vulgò dicitur *Lago di Baſſanello*. Hinc deductæ duæ coloniæ, primò Senogalliam, quæ fuerat Senonum Metropolis; inde poſt quindecim annos Ariminum Conſs P. Sempronio, & Appio Claudio.

III. Poſt Senones deletos bellum intulerunt Romani in reliquos Gallos, & primùm in Ciſpadanos, quorum præcipui erant Boii, quorumque Metropolis erat Bononia, olim Felſina, ut ſupra num. 1. notavimus, cæterùm *per pagos habitabant* ex Strabone juxta Xilandri verſionem; & Bojorum pagi veſtigium apud Mutinam adhuc ſupereſt in eo vico, qui Bazoara corruptè vulgò vocatur, latinè Bajoaria, & Bojoaria, quod nomen fortè idem eſt ac Bojorum agri, de quibus Livius. Tandem Galli iſti Boii ſubacti, ut Polybius narrat, Conſs T. Manlio, & Q. Fulvio anno Urbis 530., & ante Chriſtum 224. Deinde poſt ſexennium rebellarunt audito Pœnorum in Italiam adventu ſub Annibale, quod accidit Conſs. P. Cor. Scipione, & T. Sempronio Longo; putarunt enim hac occaſione futurum, ut quo tenebantur, jugum excuterent; erat ille annus primus ſecundi belli Punici. Ex improviſo arreptis armis Romanos adorti, qui circa Placentiam convenerant, neque ſoli Boii, ſed cum Inſubribus in auxilium accitis. Nuper Româ coloniæ deductæ in Gallorum agros, Placentiam, & Cremonam utramque circa Padum, quod ipſis admodùm diſplicuerat. Caſu Triumviri apud Placentiam agros dividebant colonis, cùm in ipſos irruit hoſtis, rem enarrat Livius hoc pacto: *Itaque armis arreptis repentè, in eum ipſum*

lib. 5.

lib. 39.

ipſum agrum impetu facto, tantum terroris, ac tumultus fecerunt, ut non agreſtis modò multitudo, ſed ipſi Triumviri Romani, qui ad agrum venerant aſſignandum, diffiſi Placentiæ mœnibus, Mutinam confugerint &c. Poſtea ſubſequitur: *Mutinæ cum obſiderentur, & gens ad oppugnandarum Urbium artes rudis, pigerrima eadem ad militaria opera, ſegnis intactis aſſideret muris, ſimulari cœptum de pace agi &c.* Ex his conſtat tunc non fuiſſe Urbem, ad quam confugerent Placentiæ viciniorem. Polybius hoc loco Mutinam appellat Romanorum coloniam, quod Livio oppoſitum videtur narranti poſt annos trigintaquinque ab hoc tempore, Mutinam, & Parmam deductas fuiſſe colonias, Conſs. nempè Labeone, & Marcello; hinc Sigonius Polybium erraſſe putavit. At inſignes hi Authores conciliari poſſunt, ſi dicamus, Polybium nomen Coloniæ accepiſſe in ſenſu quodam latiore, nempè pro colonia militari, hoc eſt Oppido, quod Romano modo munitum, & mœnibus vallatum ex materia tali conſiſtentibus, ut à barbaris infringi non poſſent, & cuſtodiretur à Romanis militibus. At Livius Coloniam ſumpſit in ſenſu ſtrictiore, hoc eſt pro Oppido, quod ſtabiliter habitaretur à colonis Româ deductis, vel aliunde, quibus eſſent agri aſſignati, tanquam proprii. Fuit ergo Mutina ab initio *Præſidii loco collocata*, ut ait M Tullius Cicero, & in hoc ſenſu Polybiano verè dici poteſt hanc Urbem primam, & antiquiſſimam fuiſſe coloniam inter omnes alias Galliæ totius Citerioris, ſi Senògalliam, & Ariminum excipias. Dubitatur, an Mutina antequam ita ædificaretur,

lib. 3.

Philip. 5.

aut

aut muniretur à Romanis (quod fieri non potuit niſi intrà ſexenium illud, quod ſubſecutum Gallorum deditionem, eorumdem præceſſit defectionem), priùs etiam extiterit à temporibus Hetruſcorum, fueritque, ut nonnullis placuit, una ex illorum coloniis. Huic dubitationi occurrere non poſſumus, neque aliquid circa hanc rem determinare, cum de ipſa nullum veteris hiſtoriæ teſtimonium nobis ſit. Certum tamen eſt valde acceptum Romanis fuiſſe hunc ſitum, ubi hæc Urbs fuit collocata, utpotè aptiſſimum ad ſuſtinendas quaſcunque obſidiones, nam terra hìc foſſiones non patitur pro cuniculis faciendis propter aquarum ſcaturigines; quibus etiam obſeſſi privari nequeunt, habent enim ipſas intrà mœnia, & talis naturæ ſunt aquæ, ut ſaluberrimi ſint uſus.

IV. De fontibus Mutinenſibus egregium Opuſculum edidit anno 1691. Clariſs. Ramazzinus, qui poſtea Medicinæ Profeſſor fuit in Patavino Lyceo; cui titulus: *De fontium Mutinenſium admirandâ ſcaturigine &c.*; nec non nuper Clar. Valiſnerus item in Patavino Lyceo. Plurimæ in circumſtantibus hujus Civitatis locis viſuntur ſcaturigines, quas vulgò vocant *Fontanacci*, ex quibus rivuli profluunt, qui in majores confluunt ductus, quorum duo in Civitatem introducebantur, quorum major modò non totus introducitur, ſed ferè totus effunditur in Foſſam, quâ Civitas ipſa munitur extrorſum: ductus autem iſte major in antiquis Documentis Mutina appellatus, nunc vulgò vocatur *la Modonella*.

V.

V. Conjicio à nomine hujus Ductus ſatis copioſam vehentis aquam, inditum Urbi nomen, ſicut plures alias novimus à fluviis eas irrigantibus appellari, ut Ariminum, Parmam, Ticinum &c. In Theſauro linguæ Latinæ invenio quemdam Æthnicorum Deum nomine Mutinitinum *à tacendo, & non tinniendo;* unde arguo hoc nomen, *Mutina*, tacitum aliquod ſignificare: iſtius Rivi aqua per ſuum alveum inter herbas talium aquarum inquilinas placidiſſimè, & ſine ullo ſtrepitu delabitur contra id, quod in cæteris fluviis, & torrentibus evenit. Vel ſi mavis dicitur Mutina à verbo Muth, quod ſignificavit apud Phœnices (ubique olim notos propter eorumdem navigationes) Plutonem, ut Bochardus habet; quò innueretur hanc Aquam ex Orco, & ſubterraneâ Abyſſo derivari; Fons eſt in hac Urbe, qui ab Abyſſo nuncupatur, & corruptè vulgò vocatur *la fontana della Biſſa*, hoc eſt *dell' Abiſſo*, cujus aqua adeò pura, defæcata, & ſalutaris exiſtimatur, ut ipſi Nucerinæ præſtet. Fortè Rivus iſte, quem diximus Mutinam appellari, ille fuit amnis, de quo Frontinus Stratag. lib. 3. cap. 14. ait enim: *Hirtius Mutinenſibus obſeſſis ab Antonio ſalem, quo maximè indigebant cuppis conditum, per amnem Saniturnum intromiſit*. Ex imperitia locorum Saniturnum vocat, at Saniturnus idem eſt ac ille fluvius, qui modò dicitur *il Santerno* propè Imolam, etſi olim à pluribus ille Vatrenus nuncupatus. Extrà Mutinam ad occaſum olim Torrens defluebat dictus *la Formiggine* in eo ſitu in quo eſt via illa, quæ dicitur *la Formiggine;* at quia ejus alluviones ſuburbiis

urbiis

urbiis, Urbique ipſi noxiæ, Torrentem derivarunt in Siclam, ſeu Gabellum ſupra Macretam, cum priùs in eumdem fluvium ſe exoneraret infra Mutinam.

VI. Ut ad bellum Gallicum revertamur, quod renovatum notavimus in obſidione Mutinenſe: quamvìs Romani bello etiam Punico non ſolùm implicarentur, at ſummoperè premerentur, non tamen id Gallis profuit, quin Romanorum virtuti cedere cogerentur, amiſeruntque Bononiam ipſorum ſedem præcipuam anno U. C. 558., quo fuere Conſs. L. Furius Purpureo, & M. Marcellus. *Liv. l. 33.* Hìc notandum quod Livius ſcripſit: *L. Furius Purpureo alter Conſul per Tribum Sappiniam in Bojos venit.* Tribus Sappinia, ut benè advertit Cluverius, eſt pars montana ſupra Ceſenam, ſive Vallis fluminis Sapis, vulgò *del Savio*, ubi etiam nunc vicus, qui vulgò *Sappigno* vocatur. Subſequitur Livius: *Jam caſtro Mutilo appropinquabat.* Hoc Caſtrum illud eſt, quod hodie *Modigliana* appellatur in montibus ſupra Faventiam, & quidem eſt in via, quæ ducit à Tribu Sappinia, ſive *Valle del Savio*, Bononiam, ut ex Livio conſtat. Hinc errant tàm Cluverius, quàm Cellarius noſtrarum harum regionum imperiti putantes Mutilum Livii eſſe Medolam ſitam in montibus ſupra Mutinam. Deinde Livius: *Cum veritus, ne intercluderetur ſimul à Bojis, Liguribuſque, quia Ligures eos colebant montes uſque ad fines Umbrorum eâdem viâ, quâ adduxerat, reduxit*, ideſt versùs Tribum Sappiniam, quæ erat pars Umbriæ, ut affirmat ipſe Livius alibi; *& magno circuitu per aperta, eaque tuta loca ad colle-* *lib. 31.*

gam pervenit, h. e. per planitiem. Poſtea narrat, utquid cum collega potitus fuerat Bononiâ, aliiſque locis.

VII. Tandem bello huic Gallico finem præbuit P. Corn Scipio Naſica Conſul anno U. C. 563., & ante Eram Chriſtianam 191., qui de Gallis
lib. 36. triumphavit ex Livio. Inde poſt biennium Bono-
lib. 37. niam deducta colonia Latina hominum 3000., inter quos plures ordinis equeſtris, quorum ſingulis ſeptuaginta jugera data, cæteris quinquaginta.

CAPUT OCTAVUM.

De regimine Judaicæ Reipublicæ poſt captivitatem Babylonicam, & præcipuè de ſucceſſione Pontificum uſque ad Aſſamonæos, necnon de rebus Syriacis.

I. DE formâ Judaicæ Reipublicæ poſt Babylonicam captivitatem ita ſcripſit Joſephus cap. 7. lib. 11. Antiq. *Inſtituta ea Reipublicæ forma, quæ per optimates adminiſtratur; penès Pontificem ſumma autboritas, donec Aſſamonæorum gens mutato rerum ſtatu Regnum obtinuit;* hoc eſt mixtum fuit regimen ex Ariſtocratia; & Monarchiâ, donec in Monarchiam totaliter abjerit, cùm Aſſamonæi Regni titulum, authoritatemque ſibi aſſumpſerunt. Reſpublica tamen illa priuſquàm in Regnum evaſerit, ſervituti obnoxia deprehendebatur, namque primùm Perſarum Regibus paruit; deinde Alexandro M., ejuſque ſucceſſoribus Regibus, modò Aſiaticis, modò Ægyptiis; inter Ægy-

ptum

ptum enim, Syriamque jacet Judæa; Syriæ Reges à ſitu relatè ad Judæam Reges Aquilonis vocantur à Daniele, & Auſtri Reges Ægyptii. Dum hi duo Reges invicem diſſiderent, rei Judaicæ melior conditio, uterque Judæis favebat eorum efflagitans amicitiam; at cùm ex duobus unus prævalebat, hic propriæ ditioni etiam Judæam adjicere conabatur.

II. Anno primo Cyri cùm cœperunt Judæi in patriam reverti, Dux ipſorum erat Zorobabel ex regia ſtirpe, Pontifex verò erat Jeſuah filius Joſedech; hic autem, ſicut etiam Zorobabel adhuc vivebant ſub Dario ex cap. 5. lib. 1. Eſdræ ver. 2. Sub Artaxerſe venit in patriam Eſdras Sacerdos filius Sarajæ. Hoc eodem Rege erat Pontifex Joachimus filius Jeſuah, quo mortuo, ei ſucceſſit Eliaſimus ejus filius ex Joſepho lib. 11. cap. 5. qui Eliaſib vocatur cap. 3. Nehem. ver. 1. Deinde Judas Eliaſibi filius cap. 7. ubi etiam narratur ſucceſſor Judæ Joannes filius, qui in cauſa fuit, ut Bagoſes Artaxerſi Secundi copiarum imperator Templum pollueret, ut ulciſceretur necem, quam ipſe Joannes intulit fratri ſuo Jeſuah in eodem Templo, quod ipſe propterea priùs prophanaverat. Joanni autem ſucceſſit filius Jaddus, qui Pontificatum gerebat tempore, quo Alexander M. Hieroſolymam venit. Jaddi fuit frater Manaſſes, iſte duxit in uxorem filiam Sanaballetis primoris inter Samaritas, qui ei promiſit Pontificatum ex conſenſu Darii ultimi Regis Perſarum, atque ædificaturum ſe Templum Hieroſolymitano ſimile in monte Garizim Samariæ Urbi imminenti. Verùm devicto

Dario ab Alexandro, Sanaballetes ab hoc obtinuit quod voluit, itaque Templum ædificavit, cujus Manaſſes Sacerdotium ſummum geſſit: Vide Joſephum lib. 11. Defuncto poſt Alexandrum M. Jaddo, filius Onias ei ſucceſſit. Hoc etiam defuncto, Sacerdotium inivit Simon ejus filius cognomento Juſtus, quo mortuo, ſuperſtite unico filio parvulo, illius frater Eleazarus Pontificatum ſumpſit, ad quem ſcripſit Ptolomeus Philadelphus Rex Ægypti propter translationem, quam fieri cupiebat Sacrorum Librorum ex conſilio Demetrii Phalarei Bibliothecæ Regiæ Præfecti. *Poſt obitum Eleazari* (inquit Joſephus cap. 3. circa finem) *Manaſſes ejus patruus Pontificatum aſſumpſit, quo defuncto, Onias ſucceſſit in Sacerdotium Simonis Juſti filius, quem Simonem Eleazari fratrem fuiſſe diximus.* Iſte Onias fuit avunculus Joſephi patris Hircani, de quibus plura Hiſtoricus cap. 4. & 5. Defuncto Oniæ hujus nominis ſecundo ſucceſſit filius Simon nomen avi paterni referens, cui etiam mortuo ſucceſſit filius Onias Tertius. Antiochus Epiphanes, qui Seleuco Soteri fratri ſucceſſerat in Regno Syriæ Pontificatum contulit Jeſu, vel Jeſuah fratri Oniæ Tertii, cum is eſſet defunctus relinquens filium parvulum, poſteà hic Jeſuah privatus fuit Sacerdotio per Regis indignationem, moxque in Oniam alium fratrem minimum, (qui propterea Onias quartus dicetur) translatus Pontificatus. Jeſuah maluit ſe appellare Jaſonem, & Onias Menelaum. Hinc facta eſt ingens diſſenſio in populo Judæorum propter duas factiones Jaſonis videlicet, & Menelai fratrum; imò hujus factio à lege Mo-

lib. 12.

cap. 6.

ge Moſaica, & patriâ defecit: ii autem fuere filii illi iniqui, de quibus in lib. primo Machab. cap. 1. ver. 12.

III. Hæc diſſenſio, pluriumque Hebræorum apoſtaſia occaſionem præbuit dicto Antioco bellum inferendi contra Judæos; & ſi potuiſſet, eorum Religionem, quam ſuperſtitionem Græci appellabant, abolere ipſi in animo erat; quapropter captâ Hieroſolymâ anno 143. Græcorum (hæc Epocha, quæ habetur tum in libris Machabæorum, tum apud Joſephum, incipit ab eo tempore, quo Seleucus Macedo cœpit in Aſia regnare, ideòque Era Seleucidarum nuncupatur. Cœpit autem regnare anno duodecimo poſt obitum Alexandri M., ideſt anno 311. ante Eram Chriſti vulgarem, ut apud Pagium in Apparatu, cum ille obierit die 22. Maji anni 323. In primo Machab. lib. ſumitur Epocha à Vere; in lib. ſecundo ab Autumno, ut apud eumdem Pagium) expoliavit Templum, polluitque anno 145. Integro triennio remanſit Templum deſertum, h. e. à die 25. menſis Casleu anni 145. uſque ad eamdem menſis diem anni 148., quo die celebrantur Encænia. Notandum hìc cap. 11. lib. 12. Joſephum dixiſſe menſem Casleu, qui eſt menſis Judæorum nonus, eum eſſe, quem Macedones nominant Appellæum, quod congruit cum eo, quod dixerat cap. 4. lib. 11 *Menſe primo, qui Macedonibus eſt Xanticus, nobis verò Niſan*. Videtur autem ſibi non conſtare cap. 5. dum ait nonum menſem eſſe Thebetum Hebræorum, cum apud iſtos ſit decimus; verùm ipſe tunc loquitur de nono menſe *pag. 8.*

Digitized by Google

Macedonum, qui eſt decimus Hebræorum, nam primus menſis Macedonum, ſi à Vere initium ſumatur, non eſt Xanticus, ſed ſubſequens Artemiſius, cum primus facto initio in Autumno (uti fieri ab ipſis conſuevit) erat Dius, qui cum Marcheſuan Judaico concurrebat.

IV. Judæorum Reſpublica viſa eſt propter hoc bellum periclitari, ni Matthias, ſeu Matthatias Aſſamonæus inſurrexiſſet, eoque mortuo, ejus filii patriam non tantùm defenderint, ſed demùm erexerint; qui Machabæi ſunt appellati, h. e. ſtrenui, forteſque, etſi hoc cognomen proprium fuerit Judæ inter fratres fortiſſimi. Mortuus eſt in Perſide Antiochus Epiphanes, qui Regni ſui hæredem filium ejuſdem nominis reliquit, qui cognominatus eſt Eupator; hic bellum contrà Judæos proſecutus, mox cum Juda Machabæo fœdus iniit, & amicitiam ex cap. 15. lib. 12. Joſephi; & malorum, quæ ex hoc bello paſſus fuerat, pertæſus Oniam IV., ſeu Menelaum miſſum in Beroeam Syriæ necari juſſit poſt exactum in Pontificatu decennium, narrat Joſephus cap. 15.; at lib. 20. de bello cap. 8. apud Berytum. Huic ſucceſſit Alcimus, qui non erat ex cognatione Pontificum, etſi ex ſtirpe Aaron; Lyſias ille fuit, qui Regi ſuaſit in aliam familiam transferri Pontificatum. Hinc Onias V., qui filius fuerat Oniæ III., & adhuc puer cùm obiit ejus genitor, ſibi aſſumens Pontificatum, fugit in Ægyptum ad Regem Ptolemeum Philometorem &c. ex cap. 15. lib. 12. in fine, & citato cap. 8. lib. 20. de bello. Antiochus Eupator non plus biennio regnavit, quem

quem occidi mandavit ſimul cum Lyſia ejus amico Demetrius Soter filius Seleuci Regis, & hic Demetrius patrueles erat Antiochi Eupatoris, & Româ, ubi detinebatur obſes, aufugerat, & Regnum occupavit anno 151. ex cap. 7. lib. 1. Machab. Sub hoc novo Rege Alcimus, ſeu Joacimus Pontifex arbitratus ſe ad ſummam perveniſſe potentiam, eâ abuſus periit, ex cap. 17. Joſephi, cui, ut ibi narratur, à populo communi ſuffragio ſubſtituitur Judas Machabæus tunc victor, Nicanore Demetrii duce cum toto ejus exercitu deleto: Contigit hæc victoria 13. die menſis Adar, ſeu Diſri Syro-Macedonis; & Alcimus defunctus poſt exactum quadriennium ſui Pontificatus ex cap. dicto 17., at ex cap. 8. lib. 20. de bello exacto triennio (hinc vides non ſibi conſtare Joſephum). Hoc eodem cap. 8. non dicit Judam fuiſſe Pontificem poſt Alcimum, ſed de hoc dicit, neminem habuiſſe ſucceſſorem, ſed per ſeptennium ſine Pontifice manſiſſe Civitatem; deinde creaviſſe Judæos Pontificem Jonatham fratrem Judæ jam defuncti, qui ſeptennio toto præfuit. Cæterùm certum eſt ex cap. 9. lib. 1. Machab. priùs mortuum Judam, quàm Alcimum, cecidit enim Judas in prœlio contrà Bacchidem, quod accidit anno 152., Alcimus verò mortuus anno 153. ex eodem cap. 9. tempore Principatus Jonathæ, Alcimo verò per ſeptennium nemo ſucceſſit in Pontificatu, at tranſacto ſeptennio, anno videlicet 160. Alexander filius (nothus) Antiochi Epiphanis invaſit Regnum Demetrii Soteris, & conſtituit Jonatham ſummum Sacerdotem, & propterea,

ut dicitur ver. 21., induit ſe Jonathas ſtolâ ſanctâ menſe ſeptimo ejuſdem anni in die ſolemni Scenophegiæ; & ita translatus fuit Pontificatus ad Aſſamonæorum familiam; quare corrigi oportet Joſephum cap. illo 17, cùm ait Judam poſt demortuum Alcimum huic in Pontificatu ſubſtitutum; pariter cùm ait Alcimum mortuum exacto quadriennio ſui Pontificatus, cùm debebat dicere exacto biennio.

V. Jonathas illis octo annis, quibus Principatu demortui fratris ſui potitus, priuſquàm Principatu adderet Pontificatum, ita in rei militaris adminiſtratione ſe geſſit, ut deperditam ferè ſuam factionem, Religionemque propter fratris, & ſuorum infortunium, erexerit, coegeritque Bacchidem bello feſſum quieſcere, ſecumque fœdus inire; ultuſque etiam fuit Joannis fratris necem ſimul cum Simone alio fratre, illi ab Arabibus illatam.

VI. Demetrius Soter, qui regnavit in Syria in fine Principatus Judæ Machabei, & deinde tempore Jonathæ uſque ad annum 160. Græcorum, h. e. uſq; ad annum U C. 602., & ante Chriſti Epocham 152., erat Romæ obſes, fueratque filius Seleuci Regis fratris Antiochi Epiphanis, quorum utrumque genuit Antiochus Magnus, qui in Romanos bellum geſſit. Mortuo Seleuco, Antiochus, qui ipſe quoque fuit Romæ obſes, ut dicitur etiam in hiſtoria Sacra Machabæorum, Rex fuit. Hoc demortuo ei ſucceſſit Antiochus puer ſub gubernio Lyſiæ: Hoc tempore turbata Syriæ res ob cædem Cn. Octavii, quem Senatus Romanus eò miſe-

Livius lib. 41. Epit. lib. 46. Epit. Sigon. de faſtis ad ann. Urb. 591.

miſerat Legatum. Ab hoc eventu accepit Demetrius Romæ degens occaſionem pertentandi ſi poſſet obtinere Regnum, quod olim ejus pater poſſederat, ſicut etiam cogitaverat aliâ occaſione, videlicet poſt mortem patrui; tunc etenim tenebatur à patruele Antiocho puero ſub tutore Lyſia præfatæ necis authore. De conſilio Demetrii Româ illuc abeundi vide Polybium in legat num. 114. 120. 122. Occiſio Cn. Octavii, ut apud Sigonium loco citato contigit Scipione Naſica, & C. Martio Figulo Conſs. h. e. ex Faſtis anno Urbis 591. juxta Sigonium, vel à Palilibus 592., ideſt ante Eram Chriſtianam 162., qui cum anno 150. Græcorum coincidit; Anno autem ſequente Demetrius Româ veniens Syriæ Regnum occupavit, ut habetur ex hiſtoria Sacra. Regnavit autem annos novem; non verò 12., ut notatur in tabella apud Pagium pag 7. Apparatus. Poſt ipſum Alexander Balæ regnavit annos quinque, nam ei ſucceſſit Demetrius Nicanor Demetrii Soteris filius anno 165., ut habet Joſephus cap. 8. lib. 13.

CAPUT NONUM.

De Rebus ad Galliam Ciſalpinam præſertim ſpectantibus notatu dignis, juxta ordinem Temporis.

I. AB Oriente in Italiam revertamur: Devictis Gallis non ideò ſemper pacata hæc Provincia, aut partes Italiæ huic proximæ. Apennini montana à Liguris tenebantur, qui eorumdem

loco-

locorum aſperitate feroces, & indigentiâ coacti, non rarò in planities irruebant, earumque incolas non parùm vexabant. Anno Urbis 567., h. e. ante Eram Chriſti vulgarem 187, quo fuere Conſs. M. Æmilius Lepidus, & C. Flaminius Nepos, hi exercitus ſuos in montana contrà Ligures duxere; Notanda hìc Livii verba in princ. lib. 39 De Liguribus inquit: *Is hoſtis velut natus ad continendam inter magnorum intervalla bellorum Romanis militarem diſciplinam erat: nec alia provincia magis ad virtutem acuebat; nam Aſia & amœnitate Urbium, & copiâ terreſtrium, maritimarumque rerum, & mollitie hoſtium regiiſque opibus ditiores, quàm fortiores exercitus faciebat &c.* Perrexit C. Flaminius contrà Ligures Friniates, qui, ut conſtabit Livium attentè legenti, non cis Apenninum versùs nos habitabant, ſed ultrà, ideſt cis Apenninum juxta Livii locutionem, & reſpectu Romæ, quamvis in citeriora versùs nos fugitivos inſequeretur. His devictis, bellum intulit in Apuanos, qui in agrum Piſanum, Bononienſemque ita incurſaverant, ut coli non poſſet; hinc inferimus eos habitaſſe circa Piſtorium. Alter Conſul etiam priùs Ligures citeriores juxta Livii locutionem, & reſpectu Romæ, ſubjecit, ipſiſque montes duos Baliſtam, & Suiſmontium deuſſit, quos tenebant; hinc inferimus hunc Baliſtam non eſſe montem illum, quem nos Valeſtra appellamus in Diœceſi Regienſe, at eos montes fuiſſe reſpectu noſtri ultrà Apenninum, nam poſtea inquit Livius: Subactis cis Apenninum omnibus, tum tranſmontanos adortus, h. e. ciſmontanos reſpectu noſtri (in his & Friſinates

nates Ligures erant, quos non adjerat C. Flaminius) *omnes Æmilius ſubegit, armaque ademit & de montibus in campos multitudinem deduxit. Pacatis Liguribus in agrum Gallicum exercitum duxit, viamque ab Placentia* &c.; cœperunt ergo à Liguria ulteriore reſpectu noſtri, quæ à Gallia, h. eſt Longobardia hodierna magis diſtat, & poſtea iter proſecuti versùs Liguriam ciſapenninam reſpectu noſtri, ab hac in campos, & planitiem ipſius Galliæ, h. e. Longobardiæ deſcenderunt, ubi viam à Bononia Flaminius; alter verò è Placentia ſtraverunt. Fortè à Friſinatibus illis Liguribus derivatur nomen vernaculum Frignano, ita enim appellatur pars montanæ regionis ad Mutinam ſpectantis.

II. Itaque ſoluti ab hoc bello Conſules, rebuſque pacatis, ne ſinerent otio torpeſcere milites, Flaminius Viam à Bononia Aretium uſque perduxit. Æmilius autem à Placentia Ariminum uſque aliam protraxit, quæ Æmilia Via perpetuò nuncupata, unde tota hæc provincia noſtra Ciſpadana, Æmilia vocatur. Æmilia Via Arimini cum Flaminiâ alia nectebatur, quæ olim à C. Flaminio Cenſore eò uſque producta à Roma, Portâ quidem Flumentanâ, quæ hodie *Porta del Popolo* vulgò dicitur, in qua Via hoc ordine collocata infraſcripta oppida, nempè Otriculum, Narnia, Carſulæ, Mevania, Fulginium, Forum Flaminii, Calle, Interciſa, ſeu Petra pertuſa, Forum Sempronii nunc *Foſſembruno*, Fanum Fortunæ, Piſaurum, & Ariminum. At Interamne, nunc *Terni*, Spoletum, & Nuceria Camelaria dicta

ĉta extra Viam ſita ad dexteram Româ venientibus. Authores hi Viarum in iiſdem Forum ædificabant à ſeipſis appellatum, ita fecit Appius in via Appia, Aurelius in via Aurelia, Flaminius, ut notavimus. Hinc etiam Æmilius Lepidus in Via Æmilia ſuum exædificavit Forum dictum Forum Lepidi inter Mutinam, & Parmam, quod Regium adjectivè primùm dictum, mox brevitatis gratia ſubſtantivè appellatum Regium Lepidi, & Regium Lepidum. Sigonius noſter hujus denominationis rationem affert, inquit enim: *Regium autem cùm dicebant, quid aliud, quàm Baſilicam jure intelligebant, ideſt locum, in quo jus, ut Romæ in Baſilicis dicebatur? quocirca Strabo Rhegium Brutiorum ſiquidem ambigit, an ab eo nuncupatum ſit, quòd eſſet quaſi Regia, ſive, ut Græco utar vocabulo, Baſilica.*

lib. 2. de antiquo Jure Italiæ cap. de Foris, & Conciliabulis.

III. Harum duarum, vel potiùs trium Viarum, quarum meminimus, occaſione, puto abs re non eſſe de cæteris quoque Viis loqui; eſt etenim hujuſmodi res Romanæ magnificentiæ argumentum, & inſuper ad intelligentiam Italicæ Chorographiæ pertinens. Cunctarum Viarum vetuſtiſſima eſt Via Appia, cujus author Appius Claudius Cœcus, hæc producta cùm ille fuit Cenſor ſimul cum C. Plaucio anno Urbis 441. Ducebat à Porta Capena Romæ Capuam uſque, quæ Porta hodie dicitur *Porta di S. Sebaſtiano*. Deinde progreſſu temporis protracta ulteriùs Brunduſium uſque, ubi portus erat, è quo navigabatur in Græciam, & Aſiam. In hac Via hæc erant: Aricia, Forum Appii, Tarracina, Fundi (ubi

Cellarius pag 933.

nunc

nunc ingreſſus in Regnum Neapolitanum), Minturnæ propè flumen Lirim, quod nunc vocatur *Garigliano*, qui locus hodie dirutus, à quo parùm diſtat Trajectum, inde Sinveſſa, demùm Capua. Deinde Brunduſium versùs progrediendo Caudium, ubi Caudinæ furcæ propè montem Taburnum, Beneventum, Equotuticum (id autem proximum erat loco, qui nunc vocatur *Ariano*) Herdonia, nunc *Ardona*, Canuſium, Barium, Egnatia nunc diruta, tamen ibi veſtigium viſitur, quod appellatur *Torre d'Aiazzo*, demùm Brunduſium. In hac Via Appia apud Paludem Pontinam erat Monaſterium Ciſtercienſe Foſſæ novæ, ubi defunctus D. Thomas Aquinas, dum hìc erat in tranſitu anno 1274.

IV. Via Aurelia protracta per Pontem Sublicium Tyberis intrà Urbem, cujus Pontis etiam nunc veſtigia apparent propè Collem Aventinum ubi Eccleſia eſt S. Sabinæ; deinde per Janiculum, & Portam, quæ nunc vocatur *di S. Pancratio*, Centum cellas, nunc *Città vecchia* ducebat, & inde Piſas uſque. Ignotus adhuc Author hujus Viæ. Inter Aureliam, & Flaminiam ferè media erat Via Caſſia, de qua Cicero: *Tres Viæ ſunt ad Mutinam, à Supero mari Flaminia, ab Infero Aurelia, media Caſſia*. Hæc ducta per hujuſmodi loca, Baccanum, Cluſium, Florentiam. Reſtaurata ab Hadriano, in cujus inſcriptione ejus notatur longitudo milliarium Romanorum antiquorum octuaginta duo, quod verum eſſe non poteſt; oportet enim in ea inſcriptione antiquitate corroſum primum numerum ſignificantem centena-

Philip. 2. cap. 9.

tena-

tenarium, nam Româ Florentiam uſque per viam Clodiam, ſeu Claudiam in Itinerario Antonini notantur milliaria 188. Hujus Viæ Author fortè Caſſius Longinus, qui fuit Cenſor cum Valerio Meſſalâ anno Urbis 600., vel 599. A' Caſſia vix diſtinguitur Claudia à Cluſio per Aretium, Florentiam, Piſtorium, Lucam uſque. Poſtumia è Cremona per Mantuam Veronam uſque. Valeria è Tibure per Sabinos, Marſos, in Pelignos, ubi Corfinium eorum Metropolis ex Strabone, modò dirutum in Aprutio. Via Latina inter Valeriam, & Appiam, à qua propè Romam orta, tandem in eamdem redibat Appiam, ubi Caſilinum non longè à Capua. Via Salaria ducebat à Porta Collina, quæ nunc dicitur *Pinciana* à Pincio monte, in Sabinos; vocabatur Salaria à Sale, quod per ipſam Romam deportabatur. Aliæ Viæ etiam erant à locis denominatæ, ad quos ducebant ut Nomentana, Tiburtina, Collatina, Præneſtina, Lavicana, Ardeatina, Oſtienſis, è qua Laurentina.

V. Anno Urbis 571., & ante Eram vulgarem 183. Conſs. Q. Fabio Labeone, & M. Marcello. Duæ Româ mittuntur Coloniæ Romanorum Civium Mutinam, & Parmam ſingulæ hominum bis mille; Triumviri ductores fuere M. Æmilius Lepidus, T. Ebutius Carus, & L. Quintius Criſpinus, octo jugera data unicuique ex colonis Parmenſibus, quinque autem Mutinenſibus in agro proximè Bojorum, ante hos Tuſcorum. Vidimus ſupra in fine Cap. VIII. ſingulis colonis Latinis Bononiam ductis data fuiſſe ſeptuaginta, & quinquaginta jugera; hinc inferimus multò ſuperioris

con-

conditionis fuiſſe colonos Bononienſes, quàm Parmenſes, & Mutinenſes, quos ex Romana plebe ſumptos cogimur aſſerere; artificioſè etenim à Romano Senatu in colonias mittebantur ex Latinis nobiliores, & ex Romanis plebei, nam Latini nominis Urbes faciliùs ſibi ſubjectas ſervabant Romani, imminuto Nobilium numero, ſicuti Romanæ plebis contumaciam Senatus frangebat, imminuto popularium numero. At cur minus datum Mutinenſibus colonis, quàm Parmenſibus? Vel quia aliquantò inferioris conditionis fuere Mutinenſes Romani; vel quia ager Mutinenſis aliquantò cultior Parmenſe, compenſationis causâ.

VI. Notum eſt Jugerum eſſe illud terræ ſpatium, quod unâ die par bovum arare conſuevit. Jugerum apud veteres ſi benè perpendatur, ejuſdem menſuræ, aut quantitatis non eſt, ac recentius, & hodiernum apud nos, quod vulgò *Biolca* dicitur. Ut ſciamus Jugeri antiquorum menſuram lego apud Celium ſecundum Curionem de Menſuris, Quadratum ex lateribus decempedalibus, h.e. cujus area eſt centum pedum eodem modo ſe habere ad Jugerum, ac in ponderibus ſe habet ſcrupulus ad Libram; Verùm ſcrupulus (cum ſit vigeſimaquarta pars unius unciæ, & hæc duodecima libræ) eſt pars 288. libræ. Ergo & præfatum Quadratum erit pars 288. Jugeri; & quoniam ſermo eſt de Jugero Romano vetere, Pes etiam Romanus antiquus intelligitur in hac menſura. At cum exprimi nequeat radix quadrata Areæ ipſius Jugeri integro numero pedum, idcircò duo numeri exprimuntur duorum laterum figuræ

guræ rectilineæ, quorum unum ſit pedum 240.; aliud ſit hujus medietas, nempè pedum 120., qui numeri in ſe ducti faciunt numerum 28800., qui eſt numerus pedum, quos Jugerum continet, utpotè illud, quod vicibus 288. continet quadratum laterum decempedalium. Hinc addiſcimus Jugerum Romanum antiquum majus eſſe Jugero noſtro uſuali, quod vocamus *Biolca*, nam *la biolca* eſt ſpatium compoſitum ex tabulis 72., quarum unaquæque eſt quadratum, cujus latus eſt perticarum Mutinenſium 2. & Pertica eſt ſex cubitorum Mutinenſium; quarè tabula continet cubitos 144., quem numerum ſi ducas per 72. producitur area *della biolca* cubitorum 10368 ſed Jugerum Romanum antiquum cum ſit ped. Rom. antiq. 28800., ex proportione Pedis Rom antiqui, & Cubiti Mutin. erunt in Jugero 16567. $\frac{3}{5}$ Cubiti Mutin.

VII. Anno Urbis 577. Conſs. C. Claudio Pulchro, & T. Sempronio Graccho, celebris notatur à Livio Ligurum incurſio in agrum Mutinenſem, adeòut Mutinam ipſam Romanorum coloniam captarent; quam deinde anno ſequente C. Claudius, cum eſſet Proconſul recuperavit cæſis Liguribus 8000. intrà ipſa Urbis mœnia, *litteræque extemplo Romam ſcriptæ, quibus non modò rem exponeret, ſed etiam gloriaretur, ſua virtute, ac fœlicitate neminem jam cis Alpes hoſtem populi Romani, agrique aliquantum captum, qui multis millibus hominum dividi viritim poſſet*. Eo anno Conſs. erant Cn. Cornelius Scipio, & Q. Petilius Spurinus; objerat primus, & Petilius collegam ſuum creavit M. Valerium

Liv. l. 41.

rium Levinum. Ligures, quamvìs pluries à C. Claudio devicti, cæſique, & nominatur etiam à Livio fluvius Scultenna, hodie *Panaro*, apud quem ſaltem unâ vice cæſi, nihilominus rebellabant, fugebantque in proximos montes, ut ibi locorum aſperitate tutarentur, duos montes Letum nempè, & Baliſtam occuparunt, quique ex illis ſegniores retrò remanſerant necati numero 1500., cæteri in præfatis montibus morati, *ne in metu quidem* (inquit Livius) *feritatis ingenitæ obliti, ſæviunt in prædam, quæ Mutinæ parta erat, captivos cum fœda laceratione interficiunt, pecora in fanis trucidant veriùs paſſim, quàm ritè ſacrificant*. Q. Petilius Conſul, qui huc venerat, ne, abſente ſe, hoſtis debellaretur, ſcripſit ad C. Claudium, ut cum exercitu ad ſe in Galliam, h. e. in planitiem noſtram veniret, Campis Macris ſe eum expectaturum. Ex Strabone notum eſt, oppidum, quod *lib. 5.* Campi Macri vocabatur, ſitum fuiſſe inter Mutinam, & Regium, ubi ſolemnis conventus agebatur, h. e. nundinarum locus admodùm celebris. Hodie eſt pagus, qui vulgò vocatur Macreta ſupra Viam Æmiliam versùs montes, ab ea diſtans tribus ferè milliaribus, ad dexteram Gabelli ripam, ubi etiam Cellarius notat fuiſſe Campos Macros. Huc etiam venit C. Valerius alter Conſul. Hìc diviſis copiis, Petilius præfatos adivit montes, qui continuo dorſo conjungebantur; videtur quòd Baliſta, alius quidem ab ejuſdem nominis monte, de quo ſupra, fuerit ille mons, quem nos vulgò *Valeſtra* appellamus, à quo continuo dorſo mons eſt, quà Carpenetum itur, in cujus

E ſum-

ſummitate Eccleſia S. Vitalis conſpicitur, fortè ibi eſt mons Letus Livii. Captarunt hos montes Romani, hoſte cæſo, ſed viſa Leti captura triſtis ominis Conſuli Petilio, qui miſſili trajectus in acie cecidit. Nec hoſtes ducem occiſum ſenſerunt, & ex Romanis pauci, qui viderant, prudenter & cautè corpus occultavere, ne victoria impediretur.

VIII. M. Æmilius Scaurus finem dedit poſt tempus aliquod huic bello contra Ligures, atque de ipſis triumphavit anno Urbis 639, cum eſſet Conſul, & poſtea princeps Senatus extitit. Ille ipſe Paduſam exſiccavit, in quam omnes aquæ, & torrentes ex Apennino defluentes ſeſe exonerabant; quare hæc noſtra Provincia multò cultior, & amœnior evaſit, de qua priùs dici poterat quod Tacitus de Germania *ſylvis horrida, & paludibus fœda*.

Sigon. de triumph. &c. ad annum 638.

IX. Lectorem hìc moneo, quòd Chronologia, quâ uſi ſumus in annis Urbis conditæ, quâque recentiores utuntur, uno anno differt ab ea, quâ utebatur Sigonius, necnon Salianus, tamen quoad numerum, non quoad rem. A' Sigonio, ſicut etiam à Saliano, numerantur anni Urbis à Januario anni ſequentis illum annum, quo Roma fuit condita menſe Aprilis, quoniam anni ſequentis Januario in curſu erat annus primus Romæ conditæ nondum completus, & complebatur Aprili menſe in Palilibus. Verùm à nobis, & à recentioribus communiter computantur anni à Januario ejuſdem anni, quo condita Urbs in Palilibus; hinc eſt, quòd juxta noſtram ſupputationem major eſt unitate annorum Urbis conditæ numerus, ac ſit numerus juxta computationem Sigonii, & Saliani.

X. A'

X. A' ſupradicto anno 639. Urbis conditæ adhuc ſuperſunt anni 114., antequàm incipiat Era Chriſti vulgaris, cujus primus annus eſt Romæ 754. juxta modum noſtrum, at juxta modum Sigonii eſt 753.

CAPUT DECIMUM.

De rebus Syriacis Aſſamonæorum tempore, itemque de Aſſamonæis Principibus, Regibuſque uſque ad Alexandrum Jannæum.

I. AD Syriam redeamus. Vidimus Alexandro Balæ Antiochi Epiphanis filio notho ſucceſſiſſe in Regno Demetrium Nicanorem Demetrii Soteris filium anno 165. Græcorum, h. e. Eræ Seleucidarum. Iſte, ut ait Joſephus in fine ejuſdem cap. 8. *videns Ditionem ſuam pacatam, & nihil timendum periculi, diviſit exercitum, & ſtipendia militum minuit, ſolis exteris mercedem ſolvens* &c. Itaque propter avaritiam in ſuos, horum à ſe alienationem excitavit, cujus occaſione quidam ex Alexandri ducibus genere Apameus nomine Diodorus cognomine Tryphon novarum rerum author fuit: oppoſuit ſiquidem Demetrio Antiochum juvenem Alexandri filium cognomine Theon, devenitque Tryphon ad tantam potentiam, ut Demetrium cogerit diſcedere in Parthos, ut auxilia inde peteret contra ipſum; ſimulque ut cogitaret Antiochi occiſione ſeipſum Regem facere. Diſſidet Joſephus ab Hiſtoria Sacra in hoc, quòd juxta hanc Jonathas capitur, & perimitur à Tryphone ex

cap. 12. lib. 1. Machab., priuſquàm Demetrius abiret in Parthos; at juxta Joſephum nonniſi auditâ captivitate Demetrii à Parthis factâ, non cogitavit Tryphon de medio tollere Jonatham, ad hoc ut poſtea etiam occiſo juvene Alexandri filio Antiocho, Regnum invadere, & occupare poſſet ex cap. 10.

II. Defuncto Jonathæ ſucceſſit in Principatu, & Pontificatu Simon ejus frater, ſub quo *ablatum eſt jugum Græcorum ab Iſrael* anno 170., ut dicitur cap. 13. ver. 41. lib. 1. Mach., quod bonum prodiit ex conceſſione Regis Demetrii, ut ibi patet. Deinde ver. 42. *& cœpit populus Iſrael ſcribere in tabulis, & geſtis publicis: Anno primo ſub Simone Summo Sacerdote*. Ex ver. 51. In Arcem Hieroſolymitanam intravit die 23. menſis ſecundi anno 171. Anno verò 172. abiit Rex Demetrius in Mediam ex capit. 14. v. 1. Regnum deinde occupavit Tryphon, occiſo Antiocho; cum autem tyrannum ſe gereret, defecerunt militiæ ad Cleopatram Demetrii abſentis uxorem Seleuciæ cum filiis manentem, quæ ſuum conjugium Demetrii fratri Antiocho obtulit, qui proinde regnavit, occiſo Tryphone, ex cap. 10. Joſephi, & Machabæorum lib. 1. cap. 15. ver. 10. anno 174.

III. Sed notandum Syriæ Reges Judæorum Principibus faviſſe, cùm ſibi intereſſe putabant ipſos habere amicos; unde Demetrius Simoni tantum conceſſerat, ut ipſum haberet ſocium contra Tryphonem. Similiter Antiochus iſte, qui Pius cognominabatur Demetrii frater, antequàm Tryphonem de medio tolleret, Simoni adhærebat ex

cap.

cap. 15. lib. 1. Mach., & ex cap. 12. Joſephi; mox Tryphone ſublato contra Simonem convertitur ex eodem cap Hiſtoriæ Sacræ, & ex cap. 13. Joſephi. Nihilominus victoriâ potitus Simon reliquum vitæ ſuæ in pace egit, donec inſidiis Ptolemei generi in convivio cæderetur cum filiis ſuis Mathatia, & Juda; ſuperſtes extitit Joannes alter filius cognomento Hyrcanus. Mors autem Simonis contigit anno 177. menſe undecimo, h. e. Sabath ex cap. 16. lib. 1. h. e. anno 134. ante Eram Chriſti vulgarem. Ptolemeus autem cæſo Simone non ſtatim, juxtà Joſephum, occidit ejus uxorem, filioſque, ſed cùm cœpto anno Sabbatico in Autumno ſequente liberatus fuit à bello, ut narratur in cap. 15. Hîc autem Biblicarum hiſtoriarum finis. Benè autem dixerat Joſephus initio cap. 14. præfuiſſe Simonem annos octo, nam primus annus fuit Græcorum 170., unde cum ultimus fuerit 177., fuit proinde hic octavus, tamen ſolùm incipiens.

IV. Incipit hiſtoria extrà Biblicam cap. 16. lib. 13. Antiq. anno primo Principatus Hyrcani, eodemque anno 134. ante Eram Chriſti vulgarem, labente anno quarto Antiochi cognomento Pii, vel Sidetis, qui coincidit cum anno Urbis 620., & cum anno tertio Olympiadis 161., etſi Joſephus dicat Olympiade 162., ut benè notat Salianus. Expeditionem Parthicam Antiochi Sidetis Pagius differt ad annum 130. ante Chriſtum; Salianus citiùs eam ſtatuit, nempè anno Græcorum 180., qui cum anno 132. ante Chriſtum connectitur; nam ſicut annus 178. incipit Vere anni 134., annus 180. incipit Vere anni 132.; hunc autem an-

num appellat Salianus 131. , quia ipſe non è vulgari Epocha , ſed à Nativitate Chriſti verâ juxtà propriam opinionem annos numerat , videlicet antecedente Dionyſianam uno anno.

V. In præfata expeditione ſocius Joannes, unde Hyrcani cognomen accepit. Poſt victoriam, demùm victus, & occiſus Antiochus; quapropter ſolutus à poteſtate Macedonum Judæorum Princeps independentem fundavit Principatum, quem in poſteros transfudit uſquequò à Romanis ſublatus fuerit. Demetrius Nicanor à Parthis dimiſſus denuò in Syriam rediit, ſed propter improbos mores cunctis exoſus , quamprimùm Regnum , & vitam amiſit . Deinde de Regno fuit contentio inter duos uterinos fratres Antiochos, Gryphum videlicet , & Cizicenum , utrumque à Cleopatra genitos, at primum ex Demetrio, alterum ex Antiocho Sidete; quorum diſſidium ad Hyrcani quietum dominatum admodùm contulit. Demùm objit iſte tribus rebus præclarus , ut narrat Joſephus, videlicet Principatu, Pontificatu, & futurorum ſcientiâ , poſt expletos ſui regiminis annos 31., unde ejus ultimus annus fuit Græcorum 208., & ante vulgarem Epocham 104. , & mortuus anno 103. expletis annis 31. ſui Principatus.

VI. Hyrcanus quinque reliquit filios , nempè Ariſtobulum, Antigonum, Alexandrum, & duos alios . Ariſtobulus natu major primus Rex , & Pontifex in ſocietatem dominii fratrem Antigonum ſuſcepit , reliquos in vinculis habuit : Hìc ſcripſit Joſephus , Ariſtobulum ſibi Regium diadema impoſuiſſe primum à ſoluta captivitate Babylo-

bylo-

Digitized by Google

bylonica, numeratque annos ab anno Liberationis, uſque ad initium Regni Ariſtobuli, ponitque annos 481., quod verum non eſt, cum ponendi fuerint anni 433.; nam totidem ſunt ab anno 103. ante Chriſtum ad annum 536, qui fuit annus Liberationis, ut conſtat ex ſupradictis. Matrem etiam in carcerem conjecit, quia ejus pater eam rerum Dominam reliquerat; & fame etiam necavit. Quamprimùm ſocium fratrem de medio tulit, vitamque ei ademit propter ſuſpiciones de eo conceptas, & calumnias impiorum hcminum, de quibus vide apud Joſephum cap. 19. lib. 13. Demùm ipſo dolore patrati facinoris mortuo poſt unum Regni annum ſucceſſit Alexander Jannæus, qui ex duobus fratribus unum necavit, alterum privatâ contentum fortunâ honoravit. Alexandri res geſtas vide apud Joſephum.

VII. Alexandri Jannæi tempore occiſus Antiochus Gryphus anno ætatis ſuæ 45., & Regni 29., cui ſucceſſit Seleucus filius, qui in patruum Antiochum Cizicenum bellum proſecutus paternum, quem deinde prælio captum neci tradidit. Nec multò poſt Ciziceni filius Antiochus cognomento Euſebes impoſito ſibi diademate Seleuco bellum intulit, quem vicit, & ex Syria depulit. Itaq;, cum in Syria regnaret præfatus Euſebes, Antiochus alius Seleuci frater eum bello aggreditur, qui vitam, & exercitum amiſit; poſt quem Philippus ejus frater aſſumpto diademate regnavit in parte Syriæ. Interim Ptolemeus Lathurus quartum ejus fratrem Regem apud Damaſcum conſtituit. Iſte etiam in prœlio occubuit; quo facto Sy-


Digitized by Google

riæ Regnum remanſit apud duos fratres Philippum, & Demetrium cognomento Eucærum; hic autem poſtea in bello captus, morbo abſumptus periit; quare Philippus totius Syriæ Regno potitus. Deinde ſurrexit alius Antiochus cognomine Dionyſius Philippi frater, qui Damaſci rerum potitus Rex factus eſt. Hic poſtremò mortuus in Arabas pugnans. Philippus autem ſuperſtes fuit ultimus Rex Seleucidarum.

VIII. Alexander autem Jannæus mortuus anno Regni ſui in Judæa vigeſimo ſeptimo ex Joſepho. Cœpit regnare anno ante Chriſtum 103. ut vidimus, ergo obiit anno 76.

Digitized by Google

Seleucidarum Stemma Genealogicum.



CAPUT UNDECIMUM.

De Rebus Romanis iterum juxta ordinem Temporum.

I. AD Romanas revertamur res. Anno Urbis 648., h. e. ante Chriſtum 106., quo fuere Conſs. Q. Servilius Cepio, & C. Attilius Serranus Jugurthini belli tempore jacta prima ſemina bellorum Civilium, quorum initium inter Sullam, & Marium; nam cum iſte anno ſuperiore Conſul præfatum bellum in Aphrica gereret ex officio, & deinde præſenti anno ut Proconſul, ubi, eodemque tempore Sulla officio fungeretur Quæſtoris, hic in rerum regimine gloriæ Marii nonnihil detraxit, ſicuti etiam Marius ipſe triennio ante detraxerat Metello Conſuli. Hoc eodem anno nati Cn. Pompejus Magnus, & M. Tullius Cicero, hic tamen ante Pompejum novem circiter menſibus.

Salianus ad annum 647. n.14. 15.

II. Subſequens annus Romanis admodùm infauſtus. Geminum illis contigit bellum, utrumque luctuoſum; cæſus enim in Luſitania Romanus exercitus. Item in Gallia à Cimbris, & Teutonibus, mortuuſque Scaurus Conſularis; hinc Romæ ingens conſternatio. Deus autem, qui Romanum iſtud Imperium eſſe volebat, huic malo remedium tulit, hoſtibus opponens Marium Romanum Ducem, ſicut olim Camillum Gallis oppoſuerat; fuit itaque Marius quinquies Conſul, qui fortiter, prudenterque bellum gerens in barbaros victores, eos tandem adeò profligavit, ut Rempubli-

publicam à periculo penitùs liberaverit; & in quinto Conſolatu, qui contigit anno 653., triumpho coronatus ſimul cum Catulo Proconſule, qui in ultimo prœlio fœlicior Mario fuit. Anno ſequente 654. ſexto ornatus Conſolatu tanquam præmio. Hoc anno natus C. Julius Cæſar, ut notat Salianus ad annum 653.

III. Erat Marius admodùm infenſus Metello Numidico, de quo ſupra dictum; & per otium Magiſtratus occaſione hoc eodem anno ſextì Conſulatus in illum ita ſe geſſit, ut eum coegerit Româ abire. Anno ſubſequenti Conſs. M. Antonio patre M. Antonii Triumviri, & A. Poſthumio Albino, revocatus in patriam Metellus communi omnium lætitiâ, utpotè qui à cunctis diligebatur. Regreſſus hic adeò Mario diſplicuit, ut Româ diſceſſerit, navigavitque in Aſiam ſub religionis colore, nempè quò Deorum matri votum perſolveret; at verè, quia ferre non poterat Metelli præſentiam. Verùm hujus itineris aliud etiam habuit motivum: etenim ipſe artium pacis imperitus, ſummè avidus gloriæ nonniſi in bello adipiſcendæ, ſperabat in Aſia ſe facilè poſſe bellum excitare in Romanos, quâ re obtentâ, prævidebat ſe futurum Reipublicæ neceſſarium, ſibique conferendum adversùs novum hoſtem belli negotium, quo poſito tum triumphi gloriam adipiſceretur, tum devicti hoſtis ſpoliis ditaretur. Itaque cùm eò pervenit intentum executus, namque perſpiciens Mithridatem Regem Ponti admodùm pronum ad bellum agendum in Romanos, omnem movit lapidem, quò ipſum ad id irritaret.

IV.

IV. Atrox etiam bellum in Romanos inſurrexit intrà Italiam, quod Civile bellum Italicum nuncupari poteſt; hoc fuit appellatum Bellum Sociale ortum anno Urbis 663. Ab anno uſque 629. Populi, & Civitates Italiæ cum Romanis fœderatæ ſperarunt ſe poſſe obtinere Jus Civitatis, quo Romani ipſi Cives fruebantur; in hanc fiduciam ipſos induxit M. Fulvius Flaccus tunc Conſul; participatio autem illa Juris illis admodùm fuiſſet futura proficua, quandoquidem eodem modo, ac Romani Cives, Legis Agrariæ toties decantatæ beneficio foret, ut fruerentur. Itaque ſpei, fiduciæque efficaciſſimam addiderunt petitionem, putantes juſtiſſimè à ſe exigi eam in bonis participationem, qui fuere participes tot laborum, & malorum, quæ in tot bellis fuerant paſſi, cum Romanis eſſent in auxilio, fuiſſentque cauſa, quâ Urbs in tantam ſurrexerit magnitudinem, & dominium. Verùm cùm viderunt ſe fruſtratos fiduciâ tanto innixâ fundamento, atque, ut putabant, in ſe iniquè actum, unanimiter conſpirarunt, ut bellum in Romanos verterent quàm ardentiſſimè. Belli exitus initio magis fauſtus fœderatis, quàm Romanis; at in progreſſu res è contra accidit, nam Romani præter fortitudinem, & auxilium eorum Italicorum, qui in ipſorum fide permanſerant, artificiosè fœdus illud diſſolvere cogitarunt, dum aliquibus expoſtulatum Jus conceſſerunt, quibus propterea à cœteris ſeparatis, reliqui debiliores, cedere coacti. Hinc bellum illud incredibili cœptum fervore ita deferbuit, ut quarto deſineret anno; & Jus Civitatis fuit omnibus tandem con-

conceſſum; & ita exitus oſtendit, conſpirationem illam irritam non fuiſſe.

V. Notandum noſtram hanc Provinciam, Galliam nempè Ciſalpinam immunem fuiſſe ab hoc bello Sociali, & Italico, quæ tunc rigorosè in Italia uon continebatur, ſicut etiam Venetorum, & Ligurum regiones, quarum omnium Jus erat Provinciæ, quod inferius Jure Italico, ſicut hoc inferius Jure Latii, & hoc Jure Civium Romanorum; verùm Latium in præfato contra Romanos fœdere comprehenſum. Citerioris itaque Galliæ terminus, finiſque Italiæ erat parvus fluvius Rubico inter Ceſenam, & Ariminum, de quo Lucanus de Cæſare

—— *Ut ventum eſt parvi Rubiconis ad undas.*

Tuſcia, quæ in Italia includebatur, ad Arnum finiebatur, quare Luca in Liguria erat.

VI. Multò diuturnius fuit bellum Mithridaticum in Aſia, quod cœpit anno 666. U. C., atque hoc anno ultimo Socialis belli cœpit Civile bellum inter Marium, & Sullam. Obtinuit hoc eodem Conſulatum L. Cornelius Sulla, ſortituſque Aſiam, ibique bellum Mithridaticum, quod illud erat, quod pro ſe Marius concupiverat, quamvìs admodùm ſenex. Sulpitius Tribunus Plebis Marii partialis procurabat Plebiſcitum, quo Sullæ abrogaretur imperium. Id autem initium Civilis belli hujuſcemodi inter Marium, & Sullam. At ex hoc conſecuta etiam alia bella Civilia, ſicut illud, quod inter Pompejum, & Cæſarem exarſit, ex quo majus damnum Reipublicæ illatum, quàm ex primo, nam Sulla perpetuæ, quam ſibi uſurpave-

paverat, Dictaturæ demùm renunciavit; at non ita egit Cæſar, qui cum ſe rerum arbitrum, & Reipublicæ Dominum fecerit, ſeipſum in immanem conjecit interitum, quandoquidem plures ex primoribus Civium legitimæ libertatis vindices in ipſum conjurarunt. Extincto Cæſare, aliud exortum Civile bellum inter illos, qui ei in Imperio ſucceſſores eſſe cupiebant, alioſque præfatæ Conjurationis magnates, quibus exterminatis, inter duos ambientes, Cæſarem Octavianum nempè, & M. Antonium, ſuperſtes diſceptatio, quæ etiam deſiit pereunte Antonio, & Reipublicæ Principatum tandem ſolus Octavianus Cæſaris hæres obtinuit, & Auguſtus appellatus; verè Rex, etſi abſque hoc nomine, ſed æquivalente Principis, & Imperatoris, cum nomen Regis Romæ fuiſſet exoſum uſque à tempore, quo expulſus Tarquinius Superbus.

CAPUT DUODECIMUM.

De rebus tum Judaicis poſt Alexandrum Jannæum; tum Romanis illorum temporum uſque ad Cæſaris necem,

I. ALexander Rex, & Pontifex in Judæa, mortuus duos reliquit filios Hyrcanum, & Ariſtobulum, Regni verò adminiſtrationem Alexandræ uxori eorum matri; mortuus ille anno ætatis ſuæ 49., & Regni, ut diximus, 27. Alexandra conſiliis paruit mariti paulò ante ejus obitum ſibi datis, ſcilicet quòd ejus mortem cæiaret,

donec

Digitized by Google

donec milites caſtella captarent, quæ ille vivens obſidebat; quòd Phariſeorum animos ſibi conciliaret apud vulgus admodùm potentium, quos ille vivens ſibi infenſos reddiderat. Itaque fortis ob caſtella, quæ poſſidebat, & potentum amicitia pollens, liberè dominatum ſuum fœmina ſervabat. Suæ adminiſtrationis tempore accidit, quòd Tigranes Armeniæ Rex, Syriæ Regno potitus, finitimos, necnon Judæos in pavorem induceret, quapropter Alexandra legationem ad eum mittens, dum Ptolemaidem obſideret (quam deinde cœpit) rogat ea, quæ pacis ſunt. At oportunè in Armeniam ſuam ille revocatus, quia eam invaſerat Lucullus Mithridatem fugientem inſecutus, ne, dum aliena invaderet, ſua amitteret. Erat hic annus U. C. 683., vel 682. juxtà Sigonium, & ante Chriſtum 71., & quartus Regni ipſius Alexandræ.

II. Hyrcano Pontificatum tribuerat, tum quia major ætate, tum quia amator quietis, & otii, unde ipſa imperii cupida liberiùs dominabatur; quod non eveniret ſi Ariſtobulus in faſtigio fuiſſet, audax, & induſtrius Demùm Alexandræ duplex obvenit infortunium, & inde mors. Primùm graviter ægrotavit, eodemque tempore Ariſtobulus uſurpare ſibi Regnum cœpit; hinc aucto morbo, deceſſit Regina. Subjungit Joſephus cap. 1. lib. 14. *Cum igitur Pontificatum accepiſſet Hyrcanus, anno tertio ſeptimæ, & ſeptuageſimæ ſuprà centeſimam Olympiadem, Q. Hortenſio, & Q. Metello Cretico Conſulibus, ſtatim bellum ei intulit Ariſtobulus.* Videtur ex ejus narratione hoc accidiſſe à morte matris ſtatim.

Illi

Illi fuere Conſs. anno Urbis 685., eratque proinde ille annus quartus Olympiadis 177., ſi res evenifſet poſt ſolſtitium æſtivum; verùm cum ipſe ſcripſerit, tertium, oportet rem eveniſſe ante ſolſtitium æſtivum. Porrò, vel Alexandra non regnavit niſi annos ſex, non autem novem, ut ipſe ſcripſit; vel ſuperior Joſephi Chronologia eſt ſuperabundans tribus annis. Illeque annus erat ante Chriſtum 69. Itaque in bello victor Ariſtobulus obtinuit, ut regnaret, & fratrem ſineret in otio frui facultatibus, quæ illi obvenerant, atque vitam privatam agere.

III. Si aliud non fuiſſet, res Judaica ſatis fœliciter proceſſiſſet, Ariſtobulus ſine ulla perturbatione, & pacificè regnaſſet; Hyrcano privatâ vitâ contento. Antipater Antipæ filius totius Idumeæ Ducis ſub Alexandro Rege, & pater Herodis Magni ille fuit, qui res mirè turbavit, nam Ariſtobuli inimicus, hunc liberè regnare non eſt paſſus, ſed tum Judæorum primores contra illum concitavit, ut injuſtè Regni occupatorem, quod fratri ætate majori debebatur; tum Hyrcanum ipſum ſuis artibus excitavit, pertraxitque, ut effugeret ad Aretam Regem Arabum, auxilia ab eo imploraturus contra Ariſtobulum. Itaque orta diſceptatio, bellumque inter duos fratres. Eodem tempore contigit occaſione belli Mithridatici Romanos in Syriam penetraſſe, Cœleſyriam, indeque in Judæam occaſione inteſtini in ea belli; ipſeque Pompejus Magnus advenit, qui irritatus ab Ariſtobulo, qui noluit ejus parere juſſis, tum milite ſuo, tum auxilio Hyrcani Hieroſolymam, Tem-

plum-

plumque cœpit, & tributariam Judæam fecit Romanis. Annus hujus eventus dicit Joſephus cap. 8. lib. 14. eum fuiſſe, qui notatur Conſulatu C. Antonii, & M. Tullii Ciceronis, h. e. Urbis 691., ponit etiam numerum Olympiadis 179., omittit annum, qui erat ſecundus, jam elapſum erat ſolſtitium æſtivum, à quo cœperat annus ſecundus, cum eſſet dies Jejunii, decima ſcilicet dies menſis ſeptimi, eratque menſis tertius à cœpta obſidione. Reſtituit Hyrcano Pontificatum, & Ariſtobulum cum duobus filiis, totidemque filiabus Romam duxit captivos.

IV. Ariſtobuli filius alius, qui remanſerat in Judæa, dum paternam factionem ſubſtentare vult, & Romanis obſiſtere bello, regionem perturbavit; & in caſtello Alexandrio oppugnatus, demùm à Gabinio (ſub quo militabat M. Antonius tunc juvenis, qui poſtea fuit Triumvir) victus qui Alexandrium diruit. Alexander filius iſte Ariſtobuli vocabatur, cujus mater Romanis favens à Gabinio obtinuit quicquid voluit circà maritum, & filios. Jnde Ariſtobulus Româ profugus cum filio Antigono reverſus in Judæam, neque tamen rebus ſuis jam afflictis profuit, ſed in Machærunte oppugnatus à Romanis, quamprimùm ab illis captus, & vulneratus, iterum Romam remittitur cum filio Antigono. Liberos tamen ejus dimiſit Senatus, cum cognoviſſet ex Gabinii litteris id ab eo promiſſum fuiſſe matri. Alexander poſtea dum non quieſceret, in Romanos prœliari auſus eſt; in hoc prœlio decem Judæorum millia perierunt, victuſque ille à Gabinio ab Ægyptiaca ex-

peditione reduce, qui tandem Provinciam ceſſit Craſſo.

V. Notandum hìc A. Gabinium fuiſſe Conſulem cum L. Piſone anno Urbis 696., & in ſequenti ut Proconſul venit in Syriam & Judæam, ubi res fuit ab eo contrà Alexandrum, ut diximus, & contrà Ariſtobulum. M. Licinius Craſſus iterum Conſul anno 699. cum Cn. Pompeio, & ut Sigonius ibi narrat h. e. ſub anno 698. *M. autem Craſſus, provinciæ cupidus, in Conſulatu ipſo paludatus exjit; neque Ateii Capitonis Trib. pleb. obnuntiationibus, diriſque commotus, delectu babito in Syriam properè contendit;* citatque Dionem, Plutarchum, Appianum. Hi duo aliàs ſimul fuere Conſ. nempè anno Urbis 684.; & quia uterque inhiabat ad Primatum in Repub. neque exercitum dimittebat, hinc inter rivales diſſenſio. Poſtea cum Cn. Pompejus acta ſua in Aſia confirmari vellet à Senatu, atque in ea re L. Lucullum, & M. Catonem adverſarios haberet, Cæſarem, & Craſſum ſibi adjunxit, Cæſarem ad Conſulatum provehendo, Craſſum aliis promiſſis onerando. Itaque inter tres Civitatis principes coitio facta, eaque jurejurando firmata eſt. Cæſar Craſſum reconciliavit Pompejo veterem inimicum ex Conſulatu, quem ſimul geſſerant anno 684.

Sigon. in faſtis ſub anno 693.

VI. Verùm hujuſmodi Oligarchiæ in factiones terminarunt invicem adverſas, quæ Rempub. ſcindentes in perniciem adduxere; ita factum in conſpiratione dictorum trium Virorum, unde ſic Plutarchus habet in vita Craſſi: *Omninò in tres factiones diverſas Roma tum abjerat, quarum videlicet*

erant

erant duces Pompejus, Cæſar, Craſſus; nam Catonis gloria, & admiratio quàm potentia major erat. Pompejum prudentiores, & manſuetiores colebant. Mobiles, & inquieti Cæſaris ſpes ſequebantur. Craſſum medium tenens utriſque utebatur &c.

VII. Craſſus itaque in Syriam cum perveniſſet, atque ibi omnia quieta reperiſſet, movit in Parthos ex improviſo, quos proinde imparatos, & neminem timentes facilè fudit; deinde in Parthos paratos regreſſus, non ſolùm ingenti clade devictus, ſed ipſe occiſus anno Urbis 701., & ante Eram Chriſtianam 53. Ortum inde bellum civile inter Pompejanos, & Cæſarianos. Cæſar poſt Pompeii, aliorumque fugam Româ potitus Dictator fuit, Dictaturam tamen non tenuit niſi dies undecim, idque evênit anno Urbis 705.. Tunc Cæſar Ariſtobulum vinculis ſolvit, miſitque in Syriam, at deinde à Pompejanis veneno ſublatus. Alexander ejus filius juſſu Pompeii à Scipione ſecuri percuſſus apud Antiochiam. Devictus tandem Pompejus bello Pharſalico in Ægyptum fugit, ibique occiſus juſſu Regis Ptolemæi in navicula antequam in terram egrederetur anno Urbis 706. & ante Chriſtum 48., ætatis erat annorum 58.. Rectè igitur ſcripſit Joſephus Cæſarem imperaſſe annis tribus cum dimidio, totidem enim fluxerunt à morte Pompeii ad ipſius Cæſaris mortem menſe Martio anni Urbis 710. & ante Chriſtum 44.. Pompeii enim mors circa Septembrem contigit.

Sigon. ſub anno 699.

VIII. Anno inſequente Urbis 707., & 47. ante Eram vulgarem Cæſar Dictator declaratus ad an-

num integrum, M. Antonius Magiſter Equitum. Conſules non fuere niſi in exitu anni. Hoc anno Cæſar in Syriam venit, ad quem ſe contulit Antigonus Ariſtobuli filius ſuperſtes. Sperabat ille favorem Cæſaris ſe facilè poſſe lucrari, ut ſuas repararet fortunas, quas illius æmulus Pompejus ſuſtulerat; conqueſtus itaque de nece patris, item & fratris Alexandri, & de uſurpato ſibi Regno ab Hyrcano patruo, & de Antipatri Idumæi principis artibus, qui capto Pompeii favore, ut ſibi imperium in Judæa acquireret, patrem Ariſtobulum è ſolio deturbavit, & Hyrcani partes fovit, majoris quidem natu, incapacis tamen regnandi. At Antipater miræ dexteritatis, & ſolertiæ vir, jam cum videret Pompeii res delapſas, in clientelam Cæſaris ſe contulerat, & egregiè Mithridatem Pergamenum adjuvit, qui Cæſari auxiliabatur in bello Ægyptiaco, hic autem apud Cæſarem teſtis fuerat rerum maximarum ab Antipatro geſtarum. Itaque in hac Antigoni accuſatione non tantùm ſe defendit, ſed à Cæſare quicquid voluit, obtinuit. Procurator factus Judeæ, duos filios Phaſaelum, & Herodem illius provinciæ regimini impoſuit, primum quidem Hieroſolymæ, & Judeæ; ſecundum adhuc juvenem Galileæ, nomen tantùm Principis, aut Regis tenente Hyrcano, qui in Pontificatu confirmatus.

IX. Anno Urbis 708., cum Cæſar eſſet Conſul tertiò, cum M. Lepido decrevit novam Anni civilis ordinationem, & reformationem veteris Kalendarii; quod egit ope Soſigenis Mathematici Ægyptii. Antiquus Romanorum Annus juxtà univer-

univerſaliorem aliarum nationum morem, erat Luni-ſolaris, at non rectè procedens, & correctione indigebat. Statuit autem Cæſar ex conſilio Soſigenis, Anni formam mutare ex Luni-ſolari, in purè Solarem, ſicut mos erat Ægyptiorum, quorum annus erat dierum 365., imò meliùs rem agere, quia illi non conſiderabant horas illas quaſi ſex, quas verus annus Solaris importat ſupra integros dies 365.; at ipſe voluit ſingulis quatrienniis unum diem addere, ut ſuppleretur defectus ille ſex horarum in cæteris annis communibus, & ita voluit in menſe Februarii (ubi fieri ſolebat intercalatio Lunaris in anno vetere) fieri in poſterum unius diei intercalatio quolibet quarto anno inter diem, qui notatur Sexto Kalendas Martias, & quinto Kal. iterando Sexto Kal., hinc quartus ille annus vocatus Biſſextilis, quia bis dicitur Sexto Kal. Et hic annus à Jul. Cæſare inſtitutus, Annus Julianus nuncupatus, qui etiam nunc apud Chriſtianos manet Romanæ antiquitatis monumentum.

X. Primus ergo annus Correctionis, & primus Julianus fuit inſequens U. C. 709. & ante Chriſtum 45., quem auſpicari decrevit Cæſar à prima die Lunationis, quæ proximè eo anno inſequebatur Solſtitium hibernum juxta morem antiquorum Romanorum, qui ab iſto ex quatuor Anni ſolaris cardinibus annum ſuum inchoabant. Quod ut faceret, fuit opus poſt terminatum annum antecedentem luxatum, tres alios menſes expectare, ut ad tempus præfatum perveniretur; quare ille annus 708. Urbis fuit quindecim menſium, &

communiter appellatus Annus Confuſionis.

XI. Defuncto Cæſare, cum non benè percepiſſent ſacerdotes rationem intercalandi juxta mentem Cæſaris, vel Soſigenis, cum intercalare debuiſſent quarto anno, intercalarunt tertio, & hoc pacto fecerunt uſque ad 36. Julianum in eo temporis ſpatio duodecim annos Biſſextiles agentes, cum tantùm novem debuiſſent. Cum verò errorem hunc cognoviſſet Auguſtus, ipſum correxit ſtatuens omittendos in poſterum tot Biſſextiles, quot fuerunt ſuperabundantes, nempè tres; quare ſequentes anni duodecim cuncti fuere communes dierum ſcilicet 365. uſque ad annum Julianum 48. incluſivè, & ita omiſſi tres Biſſextiles. Debebant poſtea Biſſextilem facere annum 52., ut reaſſumerent Biſſextilium ordinem; at non ita fecerunt, quia dictitabant non eſſe faciendam intercalationem in principio quarti anni, cum menſis Februarii ſit menſis ſecundus anni; idcircò perperam diſtulerunt ad annum ſubſequentem 53. qui erat octavus Eræ Chriſti vulgaris, & ita proſecuti intercalationem quolibet quarto anno, nempè 12. 16. 20. &c. Eræ vulgaris; & hæc eſt cauſa, cur primus annus Epochæ vulgaris Chriſti, qui eſt 46 Julianus ſit primus poſt Biſſextilem in computatione retrò factâ, & ideali. Quod ſi ab initio ordinati fuiſſent Biſſextiles juxtà mentem Cæſaris, atque intercalatio facta 4. 8. 12. anno Juliano &c. primus annus Epochæ vulgaris, qui eſt 46. Jul. fuiſſet ſecundus poſt Biſſextilem, non primus, & 53. Jul. non fuiſſet Biſſextilis, ſed primus poſt Biſſextilem, & ita cuncti anni Biſſexti-

les

les præceſſiſſent uno anno Biſſextiles, qui de facto ſunt. Vide Ricciolum lib. p. Chron. Ref. pag. 48.

XII. Hinc eſt, quòd annus primus Julianus (quem intentio erat futurum primum quadriennalis periodi) adhibitâ computatione retrò juxta ordinem Biſſextilium noſtrorum, ſit Biſſextilis & ita ultimus; itidem evenit inveniri quatuordecim Biſſextiles ab illo incluſivè uſque ad octavum annum Epochæ vulgaris incluſivè; at verè non fuerunt niſi tredecim, ut videri poteſt in tabula apud Ricciolum. Id autem animadvertendum ſignanter, cùm calculatur Novilunium illud, à quo Cæſar ſuum primum inivit Annum, quod verè contigit veſpere diei 31. Decembris, ſeu ultimâ die anni præcedentis dicti Anni Confuſionis feriâ ſextâ hor. 5. min. 51 ſec. 25. poſt mer. in Meridiano Bononlæ juxta Tabulas Ricciolias, ſi ſermo ſit de Novilunio medio, & aliquantò ſerius Novilunium verum. Sed ſi fiat calculus ſuppoſito primum annum Epochæ vulgaris eſſe primum poſt Biſſextilem, & conſequenter primum Julianum fuiſſe Biſſextilem, indeque computari Biſſextiles quatuordecim à dicto primo anno incluſivè uſque ad octavum annum Epochæ vulgaris; dies illa, quæ verè fuit ultima anni antecedentis, & feria ſexta, evadit prima dies Januarii anni ſequentis primi Juliani; at Cæſar poſuit pro prima die Januarii, & Anni diem illam integram proximè ſubſequentem Aſtronomicum Novilunium, quæ dies erat eo anno feria ſeptima, eratque prima dies civilis Lunationis; neque pro prima die civili ſtatui poterat ea dies, quæ ſecundùm ferè ſe totam pertinet ad Luna-

 tio-

tionem præcedentem, qualis erat illa, in cujus nocte ſequente facta Lunaris Synodus. Igitur illa dies, quæ ſuperfluit in computatione quatuordecim Biſſextilium, cum verè non fuerint niſi tredecim, eſt in cauſa quòd nonnulli, uti Noris in Diſſert. de Paſchali Latinorum Cyclo, errarunt accipientes pro prima die primi anni Juliani juxta veritatem hiſtoriæ, diem antecedentem, quique verè fuit ultima dies anni veteris, etiamſi idealiter, & computationis gratiâ, accipi queat pro prima die anni primi Juliani.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De nece Cæſaris; Bello Mutinenſe; & Triumviratu.

I. OCciſus poſtea C. Cæſar Dictator quartò, Conſul quintò, anno Urbis 710., 2. Juliano Idibus Martii, ut notum eſt, à conjuratis, quorum principes M. Brutus, & C. Caſſius, & ex Cæſaris ipſius partibus D. Brutus, & C. Trebonius, in Curia Pompeii, viginti tribus vulneribus, cum eſſet ætatis annorum 56. occupatur ſtatim ab interfectoribus Capitolium. Decernitur à Senatu juxta Ciceronis ſententiam oblivio cædis, obſidibus acceptis Antonii, & Lepidi filiis, & tunc conjurati à Capitolio deſcenderunt. Dictatura lege Antonii Conſulis in perpetuum ſublata; ſuffectus Dolabella Conſul in locum interfecti Cæſaris; ſumpſitque Pontificatum Max. Lepidus.

II. Cæ-

II. Cæſaris mortem ſubſecutum bellum civile celeberrimum, quod Mutinenſe appellatum. Unus ex Cæſaris interfectoribus, uti diximus, fuit Decius, aut Decimus Brutus, qui cum cæteris conjuratis Româ diſceſſerat ob timorem Populi, quem contra illos incitaverat M. Antonius, qui defuncti Cæſaris fuerat collega in Conſulatu. Profectus D. Brutus in Galliam citeriorem ſibi à Cæſare datam, ubi legiones erant, quibus ipſe imperabat, exiſtimans hunc eſſe modum, quo adverſariis obſiſtere poſſet, ſi in ipſum ulciſci vellent. M. Antonius optimè noverat, quantæ rei eſſet imperium in hac Provincia intrà Italiæ fines, quod olim Cæſari viam aperuerat ad Dominium, nil aliud cogitavit, quàm eo imperio Brutum privare, illudque in ſeipſum transferre; At quia ei contigerat alia Provincia, nempè Macedonia ex lege Senatus, ad Populi auctoritatem confugit, ut per vim permutaretur ſibi Macedonia in Galliam citeriorem. Itaque Populi auctoritate munitus anno inſequenti 711. Conſs Hirtio, & Panſa in Provinciam hanc cum legionibus Cæſaris venit, ut imperio Brutum exueret, ſibique arriperet. Erat quoque M. Antonius infenſus C. Octaviano, quem Cæſar inſtituerat hæredem ex parte dimidia; erat hic Cæſaris pronepos, utpotè filius Acciæ, quam genuerat Julia Cæſaris ſoror; eratque adoptatus ab eo in filium, & ita junior Cæſar appellabatur. Hujus ſimultatis cauſa erat Antonii ipſius ambitio, quâ aſpirabat ad eumdem Cæſaris dominatum, qui potiùs Octaviano debebatur, ut hæredi, filioque adoptivo; at Antonius apud ſe Cæ-

ſaris

ſaris ærarium ſervabat, quò intentum ſuum aſſequeretur. Sibi non deerat Octavianus, milites enim alliciebat tùm patris memoriâ, tum ætatis gratiâ, tùm hæreditatis copiâ; itidem Populi captabat benevolentiam, deſiderium oſtentans ei ſatisfaciendi diſtributione paterni legati, quoties è manibus Antonii detentam ab eo pecuniam recuperaret. Senatus quoque Antonium oderat, quoniam eum percipiebat non ſolùm intentum ad opprimendos conjuratos, quos ipſemet diligebat utpotè Reſtitutores Libertatis; ſed præteréà totum eſſe in transferendo in ſe Dominium illud, & præcellentiam, quam ſibi uſurparat Cæſar, & quantum ex ſe, illi in Imperio ſuccedere velle. Propter eamdem rationem, neque Senatui grata erat Octaviani ſucceſſio; quare duorum illorum diſcordiam alere decreverat, quos propterea debiliores, ſubjicere faciliùs poſſet, propter Publicæ Libertatis conſervationem. Quòd ſi eorum fieret conjunctio, nil pejus excogitari poſſet, Oligarchia enim gigneretur ſumma Reipub. calamitas, perniciesſque.

III. Itaque M. Antonius priùs, quam Magiſtratum relinqueret, D. Bruto plebiſcitum intimavit, quo jubebatur à Provincia Galliæ Citerioris diſcedere, & legiones ſucceſſori tradere, hoc eſt ſibi, cui Populi auctoritate ea data Provincia. Brutus velut oſtendens ſe Romam petere, dum ex Urbe in aliam concederet, mox Mutinæ, cum exercitu ſubſtitit, ut irrumpenti in Provinciam Antonio ibi obſiſteret. Kal. Januarii anni 711. U. C. & tertii Juliani creati novi Conſs. C. Vibius
Pan-

Panſa, & A Hirtius. Antonius obſidebat Mutinæ Brutum: Non deerat ea in Urbe, quam Appianus opulentam vocat, victus copia ad alendos non tantùm cives, ſed etiam milites, quos ſecum habebat Brutus, inter quos plures erant gladiatores, tres legiones, quarum una tyronum quidem erat, at reliquæ duæ veteranorum, qui ſemper ſub eo militarunt, atque adeò fidiſſimi: Legiones ſingulæ milites continebant pedites 6110., equites 726. Igitur intrà Mutinæ mœnia obſeſſæ, erant pedites 18330., & equites 2178., ſi legiones fuiſſent integræ. Romæ in Senatu contra M. Antonium fortiter orabat M. T. Cicero; quare decretum bellum in Antonium, quem ſuis juſſis reluctantem expertus fuerat Senatus; eò miſſi Conſules ambo cum Cæſare, & tribus exercitibus, quò ab obſidione liberarentur tùm Mutina, tùm Brutus ipſe; & Antonius armis peteretur.

Modeſtus libello de vocabulis &c.

IV. Hirtius, & Cæſar priùs profecti, Bononiâ in poteſtatem redactâ, ſummum prœlium vitarunt, donec adveniret Panſa alter Conſul; prœliis tamen minoribus aliquot ſecundis elatus Antonius, relictis qui Cæſaris & Hirtii oppugnarent caſtra, in Panſam advenientem Bononiam verſus XVII. Kal. Maii contendens, inſidias ei tetendit inter paluſtria arundineta, ubi nunc eſt Pontificia Arx, quæ vulgò dicitur *il Forte Urbano*, & vicus ille, qui *Panzano* vocatur, ibi proſperè pugnavit adeò, ut Panſa ſaucius Bononiam redire coactus, ut ibi curaretur: hinc denominatus vicus ille. Ex hac pugna feſſis Antonianis, & verſùs Mutinam redeuntibus ſe obtulit Hirtius cum ſuis militibus,

atque

atque adeò eos facile fudit, Cæſar tamen non pugnavit, ut Sigonius notat. Paucos poſt dies ſummo prœlio dimicatum eſt, in quo fugatus, & caſtris, exercituque exutus Antonius, ad M. Lepidum Proconſulem in ulteriorem Galliam cum paucis profugit. Hirtius poſt victoriam in inimicorum caſtris ſaucius obiit.

V. Ex tanto militum numero, qui intrà Mutinæ mœnia obſidebantur præter cives, & ordinarium Præſidium, argumentamur Urbis illius antiquæ amplitudinem: Strabo inter Placentiam, & Ariminum, tanquam majores civitates, ejuſdemque claſſis Parmam, Mutinam, & Bononiam; ita enim lib. 5. juxtà verſionem latinam Guillelmi Xylandri: *Urbes intrà Padum, & ad Padum illuſtres ſunt Placentia, & Cremona proximæ, mediâ ferè regione. Inter has & Ariminum, Parma, Mutina, & Bononia jam Ravennæ propior; tum alia oppida minora*, quæ ibi nominat in via Romana, ut ſunt Campi Macri, Regium Lepidi, & Urbes Romandiolæ inter Bononiam, & Ariminum ſitæ. Ex ſubterraneis antiquæ Urbis ruderibus, ejus magnitudinis, magnificentiæque certum ſumimus argumentum: ingens ſpatium occupant adeò, ut hodierna civitas tota ſuperædificata reperiatur in angulo ſeptemtrionali antiquæ Urbis. Hæc celeberrima fuit apud veteres ſcriptores, ut de ea ſcripſerit Volaterranus lib. 4. Geogr. *Nullus æque à Veteribus memoratur locus*. Cicero Philipp. 5. cap. 9. de Antonio locutus inquit: *Circumſedit Mutinam, fortiſſimam, & ſplendidiſſimam populi Rom. coloniam*.

VI.

VI. D. Brutus ab obſidione liberatus reconciliari cum Cæſare pertentavit; at iſte ipſum recipere noluit, adveniſſe ſe dixit, ut Antonium depelleret, quod fecerat; non autem ut ei prodeſſet. Bononiam inde perrexit, ut Panſam morti proximum inviſeret, & dum tempus ſineret, alloqueretur; ubi rem omnem apud Mutinam peractam Senatui per litteras enarravit, ſicut & Panſa fecit. Interea Panſa ex vulnere moriturus, ſe Cæſarianum eſſe faſſus, ſicut & jam defunctum collegam, Cæſari perſuaſit conjunctionem cum Antonio, ſi cuperet Patri ſuo in præpotentia ſuccedere, quod conſilium poſtea paulatim executus. Inde Octavianus Cæſar Romam adducto exercitu victore, tantum Senatui incuſſit timorem, ut eum Conſulem crearent in locum Hirtii, & Panſæ defunctorum, etiamſi annos tantùm viginti natus præter Legum præſcripta, qui Q. Pediam (qui particeps Cæſareæ hæreditatis, vi teſtamenti, erat) ſibi Collegam ſubrogavit. Creatus Conſul ex Dione eâdem menſis die, quo mortuus, nempè 14. Kal. Septembris, h. e. die 19. Auguſti, unde ab eo menſis ille Auguſtus appellatur, cum priùs Sextilis vocaretur. Cum autem eſſet Conſul è Gallia Antonium, ac Lepidum accerſivit; & congreſſi omnes in agro Bononienſi ex Dione, at Mutinenſe ex Appiano, ubi egerunt de ordinanda, & corrigenda Republica, quare in ſeipſis celeberrimum illum ſtatuerunt Triumviratum, cujus in totam Rempublicam ſupremum eſſet imperium, quodque in quinquennium renuntiarunt. Triumviratus iſte Romæ funeſtiſſimus propter tot

civium

civium cædem, quam patravit ultio hujus, vel illius ex his Dominantibus; hinc Romanæ libertatis interitus. Hujuſmodi trium virorum Oligarchia demùm deſiit in Monarchiam, ſive Tyrannidem.

VII. Inter plurimos occiſos fuit etiam miſer M. Tullius Cicero infenſiſſimus M. Antonio, quem ille toties, tantâque peroraverat, & declamaverat vehementiâ, atque S. P. Q. R. animos incitaverat. Et verè magis, quàm par erat Antonio infenſus fuerat, idque admiratus Appianus ſcripſit: *Tanto furore præter decorum concitus erat in Antonium*. In quinta Philippica ita ille: *At quò* (perrexerat Antonius) *in Provinciam firmiſſimorum, & fortiſſimorum civium, qui illum, ne ſi ita quidem veniſſet, ut nullum bellum inferret, ferre potuiſſent, impotentem, iracundum, contumelioſum, ſuperbum, ſemper rapientem, ſemper ebrium. At ille, cujus ne pacatam quidem nequitiam quiſque ferre poſſet, bellum intulit Provinciæ Galliæ, circumſedit Mutinam firmiſſimam, & ſplendidiſſimam Populi Romani coloniam, oppugnat D. Brutum, imperatorem, Conſulem deſignatum, Civem non ſibi, ſed nobis, & Reipub. natum. Ergo Annibal hoſtis, & civis Antonius? &c.* & inferiùs: *Quid intereſt per Deos immortales, utrum hanc Urbem oppugnet, an hujus Urbis propugnaculum, coloniamque Populi Romani Præſidii loco collocatam?*

VIII. Inter Mutinam, & Bononiam locus erat, ubi inſtitutus Triumviratus, inſula hæc fuit in flumine, aut torrente; Appianus hunc fuiſſe Labinium lib. 4. Dio nomen reticet lib. 46. in fine, at dicit flumen illud eſſe, quod eſt propè Bononiam,

unde

Digitized by Google

unde Rhenum innuere potiùs videtur, qui Bononiæ propior, at cum ab Appiano ſpecialiter nominetur Labinius, aliàs parvus torrens, veritas ſtat potiùs pro Labinio, qui etiamſi remotior Bononiâ, quàm Rhenus, eſt tamen etiam ipſe proximus, cum non diſtet ab ea Urbe pluſquàm quinque milliaribus. Quod attinet ad tempus, fuit id dies 27. Novembris, ut conſtat ex Inſcriptione apud Sigonium in Comment. in Faſt. & Triumph. Rom., in qua legitur etiam futura duratio à præfatâ die 5. Kal. Decembris ad Kal. Januarii anni ab hinc ſexti, h. e. quinque annorum ſolidorum, & inſuper dierum 34. Sibi partiti fuere Provincias Occidentis, relicto Oriente, ubi erant Caſſius, & M. Brutus principes interfectorum Cæſaris; in quos Bellum fuit ſtatutum.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De fine Aſſamonæorum Principatus, Regnique; & de ſubſequente Herodis Regno.

I. ANtipater, qui & Antipas Phaſaelis, & Herodis pater, quos Judeæ regimini impoſuerat, veneno necatus à Malicho ex Joſepho cap. 19. lib. 14. quod fecit Malichus, quò in libertatem Hyrcanum Pontificem reſtitueret, qui ſolo nomine Rex erat, officiumque Regis, & poteſtas apud Antipatrum Idumæum ſolum erat. At Herodes minor natu filius Antipatri, qui ad Regnum adſpirabat, non ſolùm, ut paternam injuriam ulciſceretur, ſed etiam quia eamdem ipſe injuriam pati,

pati, & mortem à Malicho facilè poterat, illum interficere cogitavit, quod & fecit, obtentâ juſſione Caſſii, qui cum M. Bruto Orientis provincias tenebat, & quos mox bello petierunt juvenis Cæſar, & M. Antonius Triumviri, Romæ manente M. Lepido Conſule anni inſequentis Triumviratus inſtitutionem, nempè anni Urbis 712.

II. Itaque devictis, atque extinctis M. Bruto, & Caſſio; Orientis res potito Antonio, is Phaſaelum, & Herodem Judeæ conſtituit Tetrarchas, nam Herodes muneribus Antonium lucratus, quamvìs apud illum accuſatus, obtinuit, ut ille accuſationes audire reſpuerit. Nomen Tetrarchæ innuit quatuor fuiſſe tunc Judeæ Dominos, nempe Phaſaelum, Herodem, Hyrcanum Pontificem, etſi ſolo nomine Regem, & Ptolemæum Menneum mortuum deinde in irruptione Parthica, cui ſucceſſit filius Lyſania. Mox potenti exercitu advenerunt Parthi in Syriam, & Judæam, eaſque occuparunt regiones; in Judæa rerum facies immutata, nam Hyrcanus, & Phaſaelus captivi, Herodes fugit in Arabiam priùs, poſtea in Ægyptum tranſivit. Principatum obtinuit Antigonus Hyrcani ex fratre nepos, qui amputari mandavit auriculas Hyrcano, quò Sacerdotii, Regnique incapacem redderet. Phaſaelus ſemet occidit, ne ab hoſtibus occideretur.

III. Herodes in Ægyptum fugitivus vix obtinuit, ut Peluſio Alexandriam navi veheretur, ubi *à Cleopatra detinebatur*, quæ tamen efficere non potuit, ne Romam properaret, licèt tempore tempeſtatibus obnoxio, & parùm tranquillis, ut nuncia-

Joſeph. l.14.cap. 25.

nunciabatur, Italiæ rebus. Hac de cauſa Antonius relictâ Cleopatrâ in Italiam navigaverat; bellum civile gliſcebat inter Octavianum Cæſarem, & L. Antonium, poſtea etiam inter eumdem Cæſarem, & M. Antonium ipſum, donec mortuâ Fulviâ hujus uxore, iterum pax inter iſtos, qui totum Romanum Imperium inter ſe denuò partiti; & cùm Herodes Romam pervenit, pacem, fœduſque recenter contraxerant. Pergit Joſephus: *ſolvens igitur inde versùs Pamphyliam, & gravi tempeſtate conflictatus, ægrè in Rhodum evaſit, jacturâ etiam ſarcinarum factâ, ubi duo ex amicorum cohorte ei præſtò fuerunt Sappinas, & Ptolemæus. Et cum inveniſſet eam Civitatem graviter bello afflictam, quod contra Caſſium geſtum fuit, ne præſenti quidem inopiâ cobiberi potuit, quò minus vel ſupra vires eam refoveret (ad id ſcilicet relictâ pecuniâ, & diſpoſitis curatoribus): inſtructâque triremi, & cum amicis conſcenſâ, in Italiam Brunduſium appulit. Inde Romam profectus ante omnes Antonio denarravit ea, quæ ſibi in Judæa contigerant* &c. Huc uſque Joſephus. Mox cap 26. narrat, utquid Antonii operâ, & Cæſaris conſenſu, congregato Senatu, omnium ſuffragiis Herodes Rex eſt declaratus. Ex iis itaque conſtat, Herodem majore quâ potuit diligentiâ, ac celeritate Romam ſe contuliſſe, à qua re, neque Cleopatræ officia, neque procelloſa tempeſtas, neque rumores Italici belli eum retraxerant. Eò cum pervenerit res pacatas reperiens, cauſam ſuam ſollicitè agere non deſtitit; atque adeò fortunatus fuit, ut non ſolùm Antonius præter ipſius ſpem illi Regnum paraverit, ſed etiam quia intrà

ſeptem dies inſperatâ fœlicitate, ornatum dimiſit ex Italia: ita Joſephus. Jam conſtat ex iis, quæ videri poſſunt apud Noriſium, & Pagium, præfatam Herodis navigationem Romam versùs contigiſſe Autumno anni ſexti Juliani, & quadrageſimi ante Epocham Chriſti vulgarem, anno Urbis 714., cum ex Joſepho tunc fuerint Conſs. Cn Domitius Calvinus ſecundò, & C. Aſinius Pollio; unde Herodes, ut putandum eſt menſe Novembri circiter renunciatus eſt Rex, ſaltem non ante, ſi non poſt, à Senatu ope M. Antonii, & ab ipſo Magiſtratu Triumviratus tunc adhuc vigente nondum tranſacto quinquennio.

IV. Româ igitur adveniens in Judæam Herodes, fuit opus, ut Regnum armis adipiſceretur, ad quod tàm fœliciter promotus, quò Antigonum è throno dejiceret, & ejus poſſeſſione privaret. Demùm ille devictus, captuſque ſimul cum Hieroſolyma anno, quo erant Conſs. M. Agrippa, & Caninius Gallus, h. e. anno nono Juliano, & 37. ante Chriſtum; ductuſque Antigonus ad Antonium à Soſio, quem ipſe Antonius Syriæ Præſidem fecerat. Cœperat hæc Hieroſolymorum obſidio, ubi tempeſtas deſæviit, ut ait Joſephus; menſes quinque perduravit, ut idem Author de Bello lib. 1. cap. 13. Olympiade loco ſupra citato 185., incipiebat eo anno circa Solſtitium æſtivum quartus annus illius Olympiadis, *menſe tertio feriis, quibus ſolemne fit Jejunium, tanquam recurrente in idem temporis momentum illata Judæis à Pompejo calamitate; nam & ab illo eâdem die urbs capta fuerat annos viginti ſeptem*. Jejunium illud ſolemne eſt illud, quod

lib. 14. cap. 28.

quod fiebat die 10. menſis Tiſri, h. e. ſeptimi menſis; tertium menſem ait anni quarti expreſſæ Olympiadis incipientis ab æſtivo ſolſtitio. Dum autem dicit ante annos viginti ſeptem captam urbem à Pompejo, intellige 26 ſolidos, & 27 inchoatum, ut patet ex tempore, de quo diximus ſupra Cap XIII num 3. Cum autem duraverit obſidio hæc menſes quinque, cœpit menſe ſecundo, nempè menſe Jiar, *ubi deſævìit tempeſtas*, h. e. verno tempore.

V. In hoc bello occiſus Joſephus frater Herodis ſuperſtite Ferorâ fratrum ultimo. Durante obſidione Herodes profectus Samariam ad nuptias, ducturus filiam Alexandri, neptem Ariſtobuli fratris Hyrcani, quæ jam fuerat illi deſponſata, cujus nomen erat Mariàm. M. Antonius Antiochiæ morabatur, cùm à Soſio ad ſe ductus Antigonus; Herodes timens, ne ille ſervaretur in triumphum Romam ducendus, ubi apud Senatum ſecum de Regno contendere poſſet, multis pecuniis Antonium induxit, ut Antigonum de medio tolleret, quod & fecit Antonius. Itaque, ut notat Joſephus, deſiit Aſſamonæorum Principatus poſt annum, ut ait, centeſimum vigeſimum ſextum, quod verum eſt, ſi tempus hujus Principatus numeretur ab eo, quo ex geſtis Judæ Machabæi fuit Templum reſtauratum, & reſtitutum menſe Caſleu anni 148. Græcorum, h. e. Urbis 580; nam cecidit Judas anno ab hinc quarto, nempè 152. Græcorum, & Urbis 584., quare ejus Principatus à præfato tempore cœptus perduravit annos tres ſolidos, & aliquot menſes. Jonathas ante

Pontificatum octo annos Principatum geſſit; fuit Pontifex anno Græcorum 160., h. e. Urbis 602; hic annus, quo occiſus fuit Antigonus, fuit Urbis 717., cum fuerit nonus Julianus, ergo effluxerunt anni 115. à principio Pontificatus Aſſamonæorum, quibus ſi addantur anni 8. Principatus Jonathæ ante Pontificatum, & anni tres Principatus Judæ fiunt Anni 126., & aliquot menſes; quare rectè dixit Joſephus poſt annos 126.

VI. Ex Aſſamonæis ſupererant Hyrcanus, qui apud Parthos detinebatur, neque ampliùs Pontifex eſſe poterat propter amputatas auriculas; necnon duo filii Alexandri jam defuncti, quem necaverat Pompejus, hoc eſt Ariſtobulus adoleſcens ætatis annorum 16. & Mariàm ejus ſoror, quæ Herodi nupſerat, cum ipſorum matre Alexandra Hyrcani filia. Herodes cavens, ne quis ex Aſſamonæis ſuperſtes ad Pontificatum eveheretur, accito Babylone non obſcuri generis Sacerdote Ananelo, huic ſummum contulit Sacerdotium. Mox Alexandra Herodis ſocrus mater Ariſtobuli hanc contumeliam non tulit, quòd ſcilicet excluderetur ejus filius ex Aſſamonæorum ſtirpe præter Hyrcanum reliquus; ad Cleopatram Ægypti Reginam litteras dedit, quò ejus interventu juberet Antonius Ariſtobulum fieri Pontificem. Antonius tamen rem neglexit, tantùm cùm audivit adoleſcentis miram pulchritudinem, optabat eum ad ſe adduci, admodùm enim libidinoſus erat. Herodes autem, ut domum ſuam componeret perturbatam, dum ſocrum, & uxorem ſibi adverſas haberet, Pontificem Ananelum privavit Pontificatu,

catu, eumque contulit Ariſtobulo adoleſcenti; & hic fuit tertius caſus, quo vivo Pontifici ſucceſſor ſubrogatus contrà leges: primus enim fuit, cum Antiochus Epiphanes ipſi Jeſuah ſubrogavit Oniam fratrem: ſecundus, cùm Ariſtobulus ab Hyrcano Pontificatum in ſe tranſtulit. ſed non diu permanſit adoleſcens in Pontificatu, nam priùs, quàm primum annum compleret ab Herode morti traditus (cujus rei hiſtoria apud Joſephum c. 3. lib. 15.) labente 18 anno ætatis ſuæ. Superſtes Regiæ ſtirpis ſolus ſenex Hyrcanus; eo tempore, quo Herodes pacificè regnare cœpit, Babylone ille morabatur ſub Parthorum poteſtate, etſi admodùm in honore habitus, tàm à Parthis ipſis, quàm à Judæis eas regiones inhabitantibns. Ipſe Herodis inſidias ignorans, in patriam reditum deſiderans, à Parthorum Rege obtinuit, ſperans ſibi non defuturam Herodis benevolentiam propter antiqua beneficia; Herodes quoque illum ad ſe trahere ſtuduit, honoriſque oſtentatione eum allicere, donec occaſio ſe offerret eum perdendi, quod tandem fecit, ut ſuo loco dicam.

Aſſamonæorum Genealogia.

- Aſſamonæus, ſive Aſſamonah Sacerdos de ſtirpe Eleazari filii Aaronis de ſorte prima Joarib, de quo Paral. lib. 1. cap. 24. v. 7.
  - Simeon.
    - Joannes.
      - Mathathias, Joſ. Matthias per ſyncopem.
        - Joannes cognom. Gaddis.
        - Simon Thaſi Princeps, & Pontif. II.
          - Mathathias.
          - Judas.
          - Joannes, qui & Hyrcanus Pontifex, & Princeps.
            - Ariſtobulus Pontifex, & Rex I.
            - Antigonus ſocius Regni.
            - Alexander Jannæus Pontifex, & Rex. Uxor Alexandra
              - Hyrcanus Pontifex, & Rex.
                - Alexandra.
              - Ariſtobulus Pontifex, & Rex.
                - Alexander.
                  - Ariſtobulus Pontifex.
                  - Mariàm Uxor Herodis.
                - Antigonus Pontifex, & Rex.
                  - N. nupta Antipatro Herodis filio.
            - N.
            - Abſalomus Joſ. lib. 14. cap. 8.
              - N. Uxor Ariſtobuli.
        - Judas Machabæus Princeps.
        - Eleazarus Abaron.
        - Jonathas Apphus, Princeps & Pontif. I.

CA-

Digitized by Google

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

De Herodis rebus, ejuſque Domo.

I. ANno Urbis conditæ 723, Juliano 15. & ante vulgarem Chriſti Epocham 31. die 2. Septembris, celeberrima illa contigit navalis victoria propè Actium, Urbem, & Promontorium Epiri, quâ devictis Antonio, & Cleopatrâ, C. Cæſar Octavianus Auguſtus totius Romani Imperii ſolus Arbiter fuit, & Dominus; unde celebris Epocha illa Auguſtalis dicta, quâ ab Actiaca victoria numerantur Anni; namque modò C. Cæſaris Octaviani anni numerantur à tempore, quo primùm fuit Conſul, nempè à die 19. Auguſti anni Urbis 711, modò à die 2. Septembris anni 723.; modò etiam à morte Julii Cæſaris. Eodem anno Actiacæ victoriæ, ut narrat Joſephus cap. 7. lib. 15 fuit inauditus terræmotus in Judæa, quem ait eveniſſe anno 7. Regni Herodis, quod intelligendum ab eo tempore, quo capta Hieroſolyma, & Antigonus captivus anno Juliano 9, ex quo pacificè inde regnavit.

II Herodes reverſus ab expeditione Arabica, quam fœliciter geſſit, victoriam conſecutus, unde maximè res ſuas conſtabiliſſe viſus eſt, ſummum mox diſcrimen adiit, Antonio apud Actium devicto Cæſaris armis, tunc enim actum de ſe putavit, non ipſe ſolus, ſed ejus amici, & inimici; amicitiam cum Antonio ei noxiam futuram in hac rerum mutatione cuncti judicarunt. Priùs, quàm

diſcederet, ad pedes victoris Auguſti proceſſurus, hanc ratus occaſionem Hyrcanum perdendi ſolum ex Regia ſtirpe ſuperſtitem; Regni curam fratri ſuo Pheroræ reliquit, ſimulque & matris, cui nomen Cypron, & ſororis Salome, cujus virum jam occidi mandavit, qui fuit Joſephus ejus patruus. In caſtro, quod Alexandrium vocabatur, cuſtodiri voluit Alexandram ſocrum, & Mariamnem uxorem. Joſephus refert ætatem Hyrcani tunc fuiſſe annorum octoginta; & regnaſſe variâ fortunâ annos quadraginta, qui ſumuntur à morte Patris Alexandri Jannæi uſquequò à Parthis captus; at verè hi non ſunt niſi 38., nam à morte Matris ſunt anni 29, regnavit autem Mater à morte viri ſui Alexandri annos novem, ut ipſe refert Joſephus, ergo 38., vel 39. incompleti, ſed rotundo numero Joſephus rem narravit.

III. Ad Cæſarem itaque progreſſus Herodes, illi occurrit Rhodi, ubi negotium ſuum tanta pertractavit arte, ut præter omnium exiſtimationem intentum ſuum obtinuerit, ſcilicet ut confirmaretur in Regno. Res tota narratur à Joſepho, atque adeò apud ipſum legatur, ſicut cætera. Tantummodò ejus Domus brevem inſtituam narrationem, quæ ad intelligentiam hiſtoriæ Judaicæ illius temporis, & initii Eccleſiaſticæ hiſtoriæ maximè conducit.

IV. Igitur Herodes filius fuit Antipatri, ſeu Antipæ nati ab Antipa, qui ab Alexandro Aſſamonæo Rege, & Pontifice creatus Dux Idumeæ. Antipatro Herodis Patri frater erat Joſephus, cui tradidit Herodes ſui Regni gubernacula, cum ab

Anto-

Digitized by Google

Antonio ille vocatus Laodiceam, ubi tunc Antonius ipſe reperiebatur, ut ab accuſationibus ſe expurgaret à ſe necati Ariſtobuli Tertii adoleſcentis; eidemque Joſepho juſſerat, quoties audierat ſe condemnatum, occidendam Mariamnem uxorem ſuam ejuſdem Ariſtobuli ſororem; & quoniam ille id Mariamnæ ipſi manifeſtaverat, etiam eum occidi mandavit lib. 15. cap. 4 Hujus Joſephi uxor fuit Salome Herodis ſoror, atque adeò mariti neptis ex fratre.

V. Tres fuere fratres Herodi. Primus Phaſaelus Herode natu major; duo alii minores: primus Joſephus mortuus in bello, quod contrà Antigonum geſtum fuit, poſtquam à Romanis Regno donatus Herodes: ſecundus Pherora, cui impetravit Herodes à Cæſare Tetrarchiam lib 15. cap. 13. Ejus ſoror fuit Salome, quæ, ut diximus, fuit uxor Joſephi patrui, è quo duos peperit filios Antipatrum, & Joſephum, quorum primus contrà Archelaum peroravit apud Cæſarem Auguſtum lib. 17. cap. 11. Deinde nupſit Coſtabaro Idumæo præſtantiſſimo Gazæ viro, quem Herodes necavit lib. 15. cap. 11. Huic ſecundo viro filium peperit, cujus ignotum nomen libr. 17. cap. 9. & 12. & fœminam Beronicem, quæ nupſit Ariſtobulo Herodis filio, de qua infrà. Tertiò nupſit Salome Aleſſo, at coactè, ita volentibus Herode, & Auguſti uxore lib 17. cap. 1.

VI. Plures ei etiam fuere uxores, quarum prima fuit Dore, ſeu Dores Idumæa (quæ fratrem habuit nomine Theudionem, qui arte pollebat conficiendi venena lib. 17. cap. 6.) è qua ſuſcepit Anti-

tipa-

tipatrum; hic uxorem habuit filiam Antigoni, qui regnaverat ante Herodem ultimus Aſſamonæorum Regum, è qua Antipater duos filios habuit marem, & fœminam; primus uxorem habuit filiam Ariſtobuli lib 17 c. 1 ſecunda nupſit Agrippæ majori filio Ariſtobuli. Secunda Herodis uxor fuit Mariamne, de qua ſupra diximus, è qua quinque genuit filios, Ariſtobulum, Alexandrum, Anonymum qui Romæ in ſtudiis objit lib. pr. de bello cap. 17. duaſque fœminas, quarum conjugium ſpreverat Pheroras; Herodes eas tradidit, primam Antipatro ſororis ſuæ filio, ſecundam Phaſælo fratris ſui filio. Hanc Mariamnem adulterii ſuſpectam cum Joſepho filio Salome Herodes occidi mandavit lib 1. belli cap 17. Uxor tertia ejuſdem nominis, nempè Mariamne filia Simonis Pontificis, ex qua genuit Herodem, cujus uxor fuit Herodias (ut narrat Joſephus), de qua ſic ait lib 18 cap 7 *Herodias verò ſoror eorum, h. e. Agripæ, Herodis, & Ariſtobuli, nupſit Herodi Magni Herodis filio, quem ſuſceperat è Mariamne filia Simonis Pontificis, ex quibus prognata eſt Salomes, poſt quam natam, in contemptum legis patriæ, denuò nupſit Herodi mariti germano eodem patre genito, relicto priore adbuc ſuperſtite, is fuit Galileorum Tetrarcha.* De hiſce nuptiis adulteris, atque illegitimis locutus fuerat initio ejuſdem Cap., & de fuga veræ uxoris Herodis Tetrarchæ filiæ Regis Aretæ, ad patrem in Arabiam. De hoc adulterio agitur apud Evangeliſtas, quod arguerat Joannes Baptiſta, ſed Marcus dicit hanc Herodiadem uxorem fuiſſe Philippi, in qua re videtur diſſentire à Joſepho, qui

narrat

Digitized by Google

narrat Philippi uxorem fuiſſe Salomem illam, quæ fuit filia præfati Herodis, & Herodiadis, non autem Herodiadem, quæ fuit ſocrus ipſius Philippi, juxtà ipſius narrationem.

VII. Quarta Herodis uxor fuit mulier quædam Samaritana, quæ ei peperit Archelaum, & Herodem Antipam Galileæ Tetrarcham, de quo ſupra; & fœminam nomine Olympiadem. Quinta fuit Cleopatra Hieroſolymitana, quæ ei peperit Philippum Tetrarcham, de quo ſupra, & Herodem. Notat Joſephus cap. 1. lib. 17. aliquando Herodem ſimul habuiſſe novem uxores; hæ autem erant Dore Antipatri genitrix, Mariamne filia Simonis Pontificis; Filia fratris ſui, Conſobrina, utraque ſterilis; quinta mulier Samaritana, ſexta Cleopatra, ſeptima Pallas Phaſaelis genitrix; octava Phedra mater Roſſanæ; nona Elpides mater Salome; quibus ſi adjicias Mariamnem tunc defunctam, habuiſſe eum omninò decem uxores reperiemus.

VIII. Secunda Herodis M. Uxor, nempè Mariamne Aſſamonæa genuit, ut ſupra diximus, filios, quorum Ariſtobulus Antipatri fratris inſidiis à patre occiſus, uxorem habuit Beronicem filiam Salome, quæ ei peperit quinque liberos lib. 17. cap. 1. Primus fuit Herodes Agrippa major, qui Jacobum majorem occidit, & Petrum conjecit in vincula, & à Deo percuſſus interiit lib. 18. cap. 8., & ex Cypro uxore orti Agrippa minor, qui Veſpaſiano in bello adfuit, Druſus, Beronice, quæ nupſit Herodi patruo, Mariamne, quæ nupſit Archelao, Druſilla, quæ Felici Præſidi Act. 24. *lib. 16. cap. 2.*

Secun-

Secundus filius Ariſtobuli fuit Herodes Rex Chalcidis. Tertius fuit Ariſtobulus, qui duxit Jotabem filiam Regis Emeſenorum Agrippæ fratri inimicus lib. 18. cap. 8. Duæ fœminæ: prima Mariamne, quæ nupſit Antipatro Herodis Regis primogenito.

IX. Joſephus cap 7. lib. 18 etiam aliam uxorem Herodis Magni affert, de qua alibi non refert: hæc autem Mariamne filia Hyrcani, de qua duas filias ſuſcepit, prima nomine Salampſo, quæ nupſit Phaſaelo ipſius Regis Herodis ex fratre Phaſaelo nepoti; altera verò dicta Cypros, quæ nupſit Antipatro & ipſi Regis nepoti ex ſorore Salome. Genuit Salampſo quinque liberos, Antipatrum, Herodem, & Alexandrum, duaſque fœminas Alexandram, & Cypron, illam duxit Timius Cyprius; Cypron duxit Agrippa major Ariſtobuli filius, ut ſupra dictum.

X Noto incredibile eſſe, quod retulit Joſephus de uxore Philippi Tetrarchæ, nempè hanc fuiſſe Salomem Herodiadis filiam, nam hæc erat adhuc puella tempore, quo ab Herode Antipa Galileæ Tetrarcha occiſus Joannes Baptiſta, h. e. parvo tempore ante mortem ipſius Philippi, neque credibile hunc tam ſerò uxorem duxiſſe; erat ergo puella filia potiùs ipſius Philippi juxtà Evangeliſtæ narrationem, unde Herodias ejus uxor erat, non autem Herodis filii Herodis Magni, cujus probabilius fuiſſe filiam, quàm uxorem, idcircò Herodiadem vocatam.

PARS

PARS SECUNDA

CAPUT PRIMUM.

De tempore obitus Herodis Magni.

I. EXpeditis Animadverſionibus ad tempora ante Chriſti adventum ſpectantibus, ad hunc cum pervenerimus, primum, quod occurrit diſſerendum, & determinandum, eſt Tempus, quo admirabile Incarnationis Divini Verbi Myſterium fuit patratum, quoque Chriſtus natus. Sed priùs profanum aliquod pertractandum, videlicet tempus, quo Herodes M. objierit; conſtat enim, quàm id ſit ſcitu neceſſarium, ad hoc, ut determinari queat Tempus, quod efflagitamus circà Chriſti Domini Ortum. Illud autem inveſtigare ex alio fonte non poſſumus, quàm ex Joſephi narratione: Hic author celeberrimus, & in enarrandis præſertim Herodianis rebus diligentiſſimus, tempus mortis Herodis deſignat per numerum annorum ejus Regni juxta duas epochas; præcipuam etſi tempore poſteriorem primò poſuit, Tempus videlicet illud, quo cœperat pacificè regnare poſt detruſum Regno Antigonum, ultimum ex Aſſamonæis Regibus. Secuudam tempore priorem, Tempus ſcilicet illud, quo à Romanis Rex declaratus. Juxta primam refert mortuum anno

Digitized by Google

Antiq. lib. 17. cap. 10. 34. Juxta ſecundam 37. Juxta primam epocham tanquam præcipuam in quinque aliis locis annos Regni Herodiani refert, ut notat Petavius De doctr Temporum lib 11. cap. 1., & ex illis in duobus, & in hoc ſexto certum eſt, Joſephum ſibi eſſe concordem.

II. Aptiſſimè animadvertit Clariſs. Card. Noriſius in doctiſſima ejus Epiſt ad Pagium de Nummo Herodis Antipæ, morem fuiſſe Judæorum, ſuorum Principum annos exordiri à principio legali Anni, nempè à prima die menſis Niſan. Notum eſt, ut ſuo notavimus loco, in primo Machabæorum libro Græcorum annos, ſcilicet Seleucidarum ab anni principio eodem iniri, qui aliàs juxta Macedonum morem ab Autumno, ſicut in libro 2. Machab fit. Joſephum autem patrium morem ſecutum evidenter conſtabit, ſi rem attentè examinemus, quoties annum Principum refert.

Antiq lib. 14. cap. 26 refert Herodem à Romanis Regem declaratum Conſs C. Domitio Calvino iterum, & C. Aſinio Pollione, Olympiade 184. Annus illorum Conſs. fuit annus Julianus ſextus; & quia id evenit hoc anno ad finem tendente, & conſequenter poſt Solſtitium æſtivum, erat in curſu annus primus Olympiadis 185; dicit autem Olympiade 184., quia exorditur annum primum Herodis à Niſan præcedente, quo erat in curſu Olympiadis 184 annus quartus.

Lib. 15 cap 7 dicitur, eo tempore, quo ad Actium pugnatum eſt inter Octavianum Cæſarem, & M. Antonium, fuiſſe ſeptimum Herodiani Re-

gni

gni annum, h. e. pacificè obtenti ſublato Antigono. Annus Actiacæ pugnæ fuit Julianus 15., dies 2. Septembris. Si anni Herodiani Regni ſumuntur à tempore, quo ſublatus Antigonus, quod fuit poſt diem Jejunii; tempore Actiacæ pugnæ, nondum completi fuiſſent anni ſex, atque adeò ille eventus non contigiſſet anno ſeptimo, ſed ſexto; atqui Joſephus ſcripſit, ſeptimo; ergo anni Herodiani Regni numerantur à Niſan anni noni Juliani, quo capta Hieroſolyma, & Antigonus detruſus; ſex ergo anni completi menſe Niſan antecedente, unde initio Septembris anni Jul. 15. erat in curſu ſeptimus annus; dies autem Jejunii ſolemnis fuit eo anno circa finem Septembris, ut ex Lunationibus deducitur.

Eodem lib cap. 13. ita ſcribit: *Cum jam Regni decimus ſeptimus annus Herodis præteriiſſet, Cæſar in Syriam venit*. Verùm Cæſar erat in Syria anno, quo erant Conſs. Apulejus, & Silius ex Dione lib. 54. ubi propter mortem Zenodori, hujus tribuit Tetrarchiam Herodi, h. e. anno Urbis 734. ſeu juxta modum Sigonii 733. Juliano autem 26., quo circa Ver, illuc venerat, ut notat Petavius ſupra citatus; ergo ſi cœpiſſet Regnum Herodis circa Octobrem anni Juliani noni, non fuiſſent completi anni 17. niſi circa Octobrem anni Juliani 26., ergo veniſſet Cæſar in Syriam, cum eſſet in curſu annus 17., non autem præteriiſſet, ut ait Joſephus; verùm ipſe ſcripſit præteriiſſe, ergo præteriit initio menſis Niſan, poſt quod venit Cæſar in Syriam.

III.

III. Ex his itaque intelligimus trigeſimum quartum annnm Herodis pacificè regnantis ſublato Antigono incipere à Niſan anni Jul. 42, & ab eodem menſe incipere trigeſimum ſeptimum à tempore, quo Herodes à Romanis Rex declaratus; unde mortuus intrà illud ſpatium annuum, quod effluxit ab initio menſis Niſan anni 42 Jul. ad initium uſque Niſan anni ſubſequentis 43. Quæritur in quanam hujus ſpatii annui parte. Clariſs Uſſerius ex lib. Hebraico Thaanahit vocato, aibitratus Herodem objiſſe die ſeptimâ menſis Casleu, quæ attentâ Lunatione, coincidit cum 25 Novembris. Uſſerio aſſentitur Noriſius, necnon Pagius. Alii ſunt opinati objiſſe non diu ante Paſcha ejuſdem anni Jul. 42., de quo loquatur Joſephus cap 11, dum enarrat ſeditionem contrà Archelaum. Cap 8. narrat Lunæ defectum, deinde ſubdit: *Regi verò morbus factus eſt gravior* &c. Lunæ eclipſis digit. ſex, & aliquantò plus, ex Aſtronomicis Tabulis contigit die 13. Martii anni 42. Jul., Hieroſolymis hor circiter tribus ante Solis ortum, h. e. ante Paſcha uno menſe; cum autem, referat Joſephus ab ea Eclipſi morbum Herodis factum graviorem, argumentantur eo morbo mortuum ante ſubſequens Paſcha. Verùm tot res refert Joſephus poſt eam Eclipſim, ipſius Herodis migrationes ultrà Jordanem, & deinde Jericum, aliaque, quæ valde durum eſt coarctari poſſe intrà ſpatium ſemi menſis, & quamvìs tunc morbus factus gravior, erat tamen morbus ille chronicus, quare in mortem non terminavit, niſi in fine autumni, vel initio hiemis, ut ſolent hujuſmodi morbi.

IV.

Digitized by Google

IV. Joſepho congruit Dionis teſtimonium l.55. ad annum Urbis 759. Conſs Lepido, & Aruntio, ubi ſcribit: *Herodem Palæſtinum* (ſic enim appellat Archelaum) *à fratribus accuſatum trans Alpes relegatum eſſe*. Eſt autem ille annus quinquageſimus primus Jul., & ſextus vulgaris Chriſti Eræ. Ex Joſepho cap. 15. lib. 17. Antiq. relegatio hæc Archelai contigit anno decimo ipſius Principatus; hunc annum decimum attigiſſe innuit idem Author in Vita ſuimet, ubi narrat tempus nati ſui genitoris Matthiæ anno decimo Archelai, appellatque teſtes publicas tabulas. Annus decimus à Niſan anni 51. Jul. incipiebat, ubi complebatur nonus. At lib. 2. de Bello cap. 6. ait eveniſſe ejectionem Archelai anno nono, tunc intellexit à tempore ipſo mortis Herodis Regis ejus patris, qui non complebatur niſi circa illius anni finem; quo tempore Cenſum egit Quirinius, dum erat in curſu annus 37. ab Actiaca pugna, ut ait Joſephus cap. 3. lib. 18.

V. Confirmatur ex Nummo Rigordiano Herodis Antipæ, de quo Noriſius in laudata epiſt., in quo ſculptus 43. annus illius Tetrarchiæ. Herodes iſte Archelai frater à Cajo Caligula fuit abdicatus circa finem menſis Auguſti anni Jul. 84., & vulgaris Eræ 39.; tunc nondum erant completi anni 42. à morte Herodis M. ejus patris; ſed ſi annus primus ejus Tetrarchiæ ſumatur à Niſan antecedente mortem patris, nempè à Niſan anni Jul. 42., complebuntur anni 42. Tetrarchiæ, ipſo Niſan anni Jul 84., & conſequenter erat in curſu annus 43., cùm abdicatus fuit.

CAPUT SECUNDUM.

De tempore Incarnationis, & Nativitatis Chriſti Domini.

I. CUm determinaverimus tempus, quo Herodes Rex objit, reliquum eſt, ut ad Tempus Nativitatis inveſtigandum greſſum faciamus. Vulgò exiſtimatur Annus verus Nativitatis Chriſti ille, à quo deinceps numerantur Anni vulgaris Eræ; eſt autem hic annus 45. Jul., & primus vulgaris Eræ ſubſequens 46., Urbis conditæ 754. à Palilibus incipiendus; & Mundi juxta ſuo loco dicta 4004. ab Autumno præcedente inchoatus. At falſam hanc vulgarem opinionem evidenter novimus, ſi credimus Joſepho, Dioni, & Nummo, ex quibus agnoſcimus Herodem objiſſe priùs, & ut fuit oſtenſum anno Jul. 42., & ita Chriſtus natus fuiſſet triennio poſt Herodis mortem, quod eſt contrarium Evangelicæ hiſtoriæ Matthæi, qui ſcripſerat Chriſtum natum in diebus Herodis Regis; quare non fuit annus Nativitatis Chriſti 45. Jul. qui immediatè primum Annum vulgaris Eræ præceſſit.

II. Qui primus in Eccleſiam Occidentalem opinionem hanc invexit de anno Jul. 45., fuit Dionyſius cognomento Exiguus Monachus, qui floruit tempore Juſtiniani M. Imp. ſexto ſæculo. Iſte occaſione, quâ ab Orientalibus ſumpſit Cyclos Alexandrinos, & Canones circa Paſchatis celebrationem, deduxitque in Eccleſiam Occidentalem,

talem, antiquatis tum vetere Latinorum Cyclo annorum 84. tum ritibus, quibus Romani à Græcis, Ægyptiiſque diſſidebant, etiam introduxit morem numerandi annos ab Incarnatione Divini Verbi, & proinde primum ſuæ Epochæ annum, ſtatuit annum Jul. 45. cujus menſe Martio putavit, ſeu potiùs ſuppoſuit Verbum Incarnatum. Opinio hæc unius tantùm Monachi Ægyptii nomine Panodori auctoritate fulciebatur, cui tribuitur à Georgio Syncello in ſua Chronograph. attamen eam amplexus Dionyſius, quia juxta Alexandrinos illius anni Lunaris Cyclus erat I., & cum ipſe ſumpſiſſet Alexandrinos Cyclos, aptiſſimum exiſtimavit eum annum, ut primus ſuæ Epochæ Incarnationis ſtatueretur. Sed quis non videt hanc eſſe nudam hypotheſim Authoris, & aliorum opinionem nullius fundamenti? Cæterùm apud Alexandrinos, & Ægyptios Epocha erat initium Imperii Diocletiani, à prima tamen die anni Ægiptii cum anno Juliano non vagè, ut olim, ſed fixè conjuncti; ſtabiliter enim prima illa dies cohærebat diei 29 Auguſti Romani; & hanc Eram Martyrum appellabant. Annus ille erat vulgaris Chriſti Eræ 284, ideoque hujus Anni Aureus numerus, à die tamen primâ menſis Thot, ſeu à die 29 Auguſti, erat I. Dionyſius autem, & Occidentales à die prima Januarii ſubſequentis anni 285. Aureo numero I. utebantur. Hinc ſequitur retrocedendo versùs tempus Nativitatis, Chriſti, Aureum numerum I. conveniſſe anno Jul. 45., quem ideò pro primo Eræ Incarnationis ſumpſit Dionyſius. Hanc Eram Martyrum Ægy-

ptii Chriſtiani ſubſtituerunt antiquæ Eræ Auguſtali, quæ pariter auſpicabatur à prima die menſis Thot anni illius, *quo in poteſtatem, ditionemque Populi Rom. venerunt*, ut ait Cenſorinus cap. 20. de die Natali; ille autem annus erat Urbis 724. & Jul. 16. ut notat Noriſius de Epochis Syro-Maced. diſſert. 3. pag. 215.

III. Notandum ſignanter hìc, anno Jul. 15. Per. Jul. 4683, & ante Chriſtum 31. celeberrimo propter Actiacam pugnam, quâ victor fuit Auguſtus Cæſar contrà M. Antonium, & Cleopatram, completam Periodum annorum 1460 ab Exodo, cum annus Ægyptius dierum 365 Vagus, denuò conjungitur cum iiſdem partibus anni Juliani Romani, cum quibus jungebatur anno Exodi prolepticè, h e. caput anni Ægyptii cohæſit pariter diei 31. Auguſti menſis, ſive Sextilis. Anno Jul. 16. quo incipiebat Era Auguſtalis Alexandrinorum erat litt. Dom. E., eratque idcirco præfata dies 31. Auguſti feria prima. Verum id intelligendum de anno Julio-Auguſtano prolepticè, h. e. taliter diſpoſito, ſicut fuit poſt reſtitutionem ab Auguſto Cæſare factam, ordinemque Biſſextilium, prolepticè ad anteriora tempora protractum, ſicut ſemper intelligi ſolet, itaut annus primus Eræ Chriſti vulgaris habeatur pro primo anno poſt Biſſextilem, & primus annus Julianus pro Biſſextili, & Biſſextiles ordinatim inde ſingulis quadrienniis contingant. At ſi intelligas, prout verè ante eam reſtitutionem, anni erant, & verè erat præfatus annus Jul. 16. quo (vide Ricciolum lib. 1. cap. 22. pag. 48.) non erat litt.Dom. E., ſed erat C. unde

feria

feria illa prima, quæ erat caput anni Ægyptii, & prima dies menſis Thot non reſpondebat diei 31. Auguſti, ſed diei 29. idcircò Ægyptii affixerunt ſui anni initium huic diei 29., ut obſervatâ deinceps Romanorum intercalatione, annus Ægyptius non ampliùs Vagus, ſed fixus cum Romano Juliano perpetuò remanſerit. Propter eamdem rationem, cùm refertur contigiſſe Actiacam pugnam die 2. Septembris anni Jul. 15., id intelligendum de anno, prout tunc verè erat, quo litt. Dom. erat D., & conſequenter feria illius diei erat quarta; at ſi intelligas annnos Julio-Auguſtanos prolepticè, feria illa quarta reſpondebat diei 4. Septembris, cum eſſet eo anno hoc pacto litt. Dom F. Idem adhibeas examen quoad omnes alios eorum temporum eventus.

IV. Ut eò redeamus, unde paulisper digreſſi: Inferimus ex ſupradictis non poſſe Chriſti Nativitatem collocari in annis Jul. 46. 45. 44 43, quia his omnibus in vivis non erat Herodes M; neque anno Jul. 42. ſi ponatur Chriſtus natus die 25 Decembris, cum præmortuus quoque fuerit tunc Herodes. At hâc datâ hypotheſi ex ſequentibus conſtabit exeunte anno 41.

V. A' tempore enaſcentis Eccleſiæ nullum celebratur Feſtum præter Paſcha, Pentecoſten, & Dominicum diem; primum poſt hæc fuit Nativitatis Feſtum, quod Clementis Alex. tempore, qui floruit exeunte Sæculo ſecundo, & ineunte tertio, nondum erat, ita enim ait lib. 1. Strom. *Sunt autem, qui curioſiùs Natalis Domini non ſolùm annum, ſed etiam diem addunt, quem dicunt vigeſimum octa-*

vum Auguſti in vigeſima quinta Pachon ; & infrà : Quin etiam dicunt ex iis aliqui, eum eſſe natum vigeſimâ quartâ, vel vigeſimâ quintâ Pharmuti. Vigeſimus octavus annus Auguſti juxta Epocham Auguſtalem Alexandrinorum incipit à die 29. Auguſti anni Jul. 43. Dies vigeſima quinta Pachon incidit in diem 20. Maji. Dies vigeſima quarta, vel vigeſima quinta Pharmuti incidit in diem 19. vel 20. Aprilis. Si tunc aliquo determinato die, ſicut poſterioribus temporibus, Nativitatis Feſtum fuiſſet celebratum, illa opinionum diverſitas ab ipſo non fuiſſet relata ſine alio addito, videlicet abſque eo quòd retuliſſet Eccleſiæ praxim circà diem Natalis ab Eccleſia celebratum, qui communiter fuiſſet putatus pro vero die, quo natus Dominus. Poſtea celebrari cœpit Natalis Feſtum, etſi ignoto tempore, tamen ante Juliani Apoſtatæ Imp. tempora. Vide Pagium ad annum 551. num. 21., ſed die ſextâ Januarii ſub Græco nomine Epiphaniæ; id enim priùs factum à Græcis Ægyptum incolentibus, ut à Theophilo in proem. epiſt. Paſch. & à Caſſiano Collat. lib. 10 cap. 2. memoriæ proditum eſt; mox ab Eccleſiis Orientalibus acceptum, indeque in Occidentales derivatum, quâ etiam die celebrabatur memoria adventus Magorum, & Chriſti Baptiſmatis, ut ex auctoritate S S. P. P. Gothofredus demonſtrat in Commentario Legis 5. de ſpectaculis Codicis.

VI. Verùm quo motivo, & cur in illa die Januarii ſextâ, quæ erat undecima menſis Tubi Ægyptiorum collocarùnt Natalitiam Salvatoris ſolemnitatem Græco-Ægyptii illi? Procul dubio igno-

ignorabant ipſi veram diem, quâ natus Dominus, ſicut eam ignoravit Clemens Alex., ut liquet ex loco ipſius ſupra citato; exiſtimarunt itaque collocandam in exortu anni novi, quò tali ſigno Caput Anni in Orbe Romano, & Chriſtiano, vulgaris, conſacraretur. At ipſi ſelegerunt diem illam habito reſpectu ad annum potiùs Luni-ſolarem, quàm purè Solarem, quemadmodùm Jul. Cæſar ſuum primum annum Julianum auſpicatus à Novilunio proximè inſequente hyemale ſolſtitium; dies autem ſexta Januarii eo anno, quo putabant Chriſtum natum, erat Luna prima juxta Cyclum, aut notitiam ſuam, quæcumque ea fuerit, & verè juxtà Kalendarium Romanum Julii Cæſaris, quod exhibuit Paulus Foroſempronienſis, Aureus numerus 6. conveniens anno Jul. 44. applicatur eidem diei 6. Januarii; exiſtimabant ſiquidem natum Chriſtum anno juxta Epocham Alexandrinorum vigeſimo octavo, ut ſupra notavimus, incipiente à die 29. Auguſti anni Jul. 43.

VII. Poſtquam præfatus ille ritus Orientalis in Eccleſiam etiam Romanam penetraverat, ſtatuit illa aliam conſacrare diem Nativitati, ſervando tamen priſtinam ſolemnitatem in die ſextâ Januarii eodem nomine Epiphaniæ, eâ die celebratis cæteris Chriſti manifeſtationibus, & præſertim Magorum adoratione: dies autem deputata Nativitati fuit vigeſima quinta Decembris; idque ex antiqua Traditione in Eccleſia Romana ſervatâ putarunt communiter S.S. P.P. quorum tempore, ritus ille acceptatus, qui ex Occidente

in Orientem etſi ſeriùs propagatus, nam Conſtantinopolim non pervenit, niſi D. Joannis Chryſoſtomi tempore, h. e. initio quinti ſæculi; & à juniore Theodoſio Imp., & demum à Juſtiniano in totum Romanum Imperium promulgatus anno 551. exceptis Armenis veterem ritum de ſola die ſextâ Januarii mutare nolentibus. Hanc Traditionem ab Apoſtolis Petro, & Paulo derivatam (natum videlicet Chriſtum eâ die, ſive antecedente medinoctio, quamvìs ſine Feſti celebratione) Ricciolus refert ſenſiſſe Chryſoſtomum, & verba ejus affert ſatis clara; alii tamen negant Chryſoſtomum ſenſiſſe eam Traditionem Apoſtolicam eſſe, nec verba illa de Apoſtolis Petro, & Paulo &c. in nulla Chryſoſtomi operum editione haberi. Igitur etſi, jampridem & ex vetere traditione Occidentales Chriſtiani prefatâ die Chriſti Natalia celebrarent, tamen non eſt certum traditionem illam fuiſſe Apoſtolicam, neque certum eâ die verè Chriſtum fuiſſe natum, eique diei non affixam eam ſolemnitatem ex alio motivo, puta quia ea dies in Kalendario Romano vetere eſt celebris propter hyemale ſolſtitium juxta data à Jul. Cæſare. Nihilominùs tanquam rem probabilem, & veritati conſentaneam habere eam poſſumus ſpectatâ authoritate; cuique nullum validum argumentum opponi poteſt.

lib. 8. c. 2. Chronol. rep.

VIII. Opponunt tamen heterodoxi authores duo argumenta, oſtendere volentes Chriſtum natum alio potiùs tempore, quàm hyemali. Dicunt enim primò Evangelicam D. Lucæ hiſtoriam, calidam anni tempeſtatem innuere Nativitatis tempore,

pore, cum Ovium greges ſub dio tunc à paſtoribus cuſtoditas referat: At jamdudum reſponſum huic argumento; quòd ſi alibi id eveniat, quovis anni tempore, multò magis in Judæa regione calida; ſaltem opinionum hac in re diverſitas argumenti vim infringit. Argumentum aliud pro hyeme efficacius oppono: Nativitatis tempore Cenſus Quirini, ſive Deſcriptio prima contigit in Judæa, unde ipſius Quirini, & incolarum ingens motio, & itinera, quæ in ea regione calida & ſicca admodùm incongrua fuiſſent anni tempore calido; è contrà in eadem, ubi hyems temperatiſſima, aptiſſima tunc fuiſſent itinera, non ſecus ac apud nos Autumnali tempore; unde fallitur Baſnagius, qui in Europæ Septentrionalibus oris inhabitans juxta indolem eorum locorum, oppoſito modo argumentatur. Quod diximus de motionibus Quirini applica Magorum itineri.

IX. Secundum argumentum, quod Samuel Bochartus Par. 1. lib. 2. cap. 44. pag. 454. *D Animalibus S Scripturæ*, palmarium vocat, deſumptum ex tempore, quo Zacharias Sacerdos juxta ordinem ſuæ Vicis adolebat incenſum in Templo, cùm ei apparuit Angelus Luc. cap. 1. Dicunt enim (referente eodem Authore) Vicem Abiæ, eo anno, incidiſſe in Decembrem, & Chriſtum ſexto poſt menſe, nempè Junio conceptum, unde ſequitur natum menſe Martio, qui poſt Junium eſt nonus; hinc prodit opinio illa apud Clementem Alex. ſupra laudatum, Chriſtum natum menſe Ægyptio Pachon, quo falcem Ægyptii in ſegetes mittebant; verùm fallitur Bochartus, quia menſis

Ægy-

Ægyptius Pachon non incidit in Martium, ſed in Majum. Porrò Annus ille, quo Abiæ ephemerias verè incidit in Decembrem fuit Jul 39. (unde falluntur apud Baſnagium illi qui ſupputant incidiſſe in Octobrem à d. 17. ad 24.) quare Chriſtus natus fuiſſet menſe Martio anni Jul 41; & quia, ut ſuo loco oſtendam, paſſus anno Jul. 75. menſe Aprili, tunc jam expleviſſet ſuæ ætatis annos 34. contra ſenſum communem Eccleſiæ Catholicæ, paſſum ſcilicet in ætate annorum 33. Aptiùs itaque inſequentis anni Jul. 40 notabimus Vicem incidentem in menſem Novembris.

X. Sacerdotales familiæ alternis vicibus miniſtrabant ſuâ quæque hebdomadâ à Sabbato incluſivè uſque ad Sabbatum excluſivè. Profanatum ab Antiocho Templum, repurgatum à Juda Machabæo anno Seleucidarum 148. (h. e Jul. Per. 4550) die 25 Casleu. Ex. 1. Paralip. cap. 24. Viginti quatuor erant Sacerdotales familiæ; ei, quæ erat Abiæ, octavus dabatur locus, narrat Joſephus lib. 7 Antiq. cap. 11. ſuo adhuc tempore perduraſſe cunctas familias illas, atque antiquum ordinem miniſtrandi in Templo. Facto itaque calculo invenio Vicem Abiæ (in cujus familia erat Zacharias Joan. Baptiſtæ pater) fuiſſe intrà annum Jul 40. à die 6. Novembris feria ſeptima ad diem 12. feriam ſextam incluſivè; erat dies illa ſexta Novembris Luna 25. Poſt quinque menſes Lunares Luna 25. cadit in diem 2 vel 3 Aprilis anni Jul. 41.; quarum alterutrâ incipit ſextus menſis; ſi Chriſtus, ut traditur, eâ die conceptus, qua mortuus, eâdemque feriâ; cum ſit mortuus

die

die 7. Aprilis, ut ſuo loco oſtendam, & feriâ ſextâ, conceptus fuit hoc eodem anno Jul. 41. d. 7. Aprilis incidente in feriam ſextam; quare cum Angelus dixerit Mariæ, ex Cap. 1. Lucæ ver. 36. *& hic menſis ſextus eſt illi &c.* intellexit menſem ſextum non expletum, ſed inchoatum, & dum eſſet in curſu. Itaque ſi Divinus ille Fœtus manſiſſet in Matris utero novem menſes integros; natus fuiſſet die 7. Januarii fer. 1. anni Jul. 42.; at quia fieri potuit non manſiſſe novem integros menſes, ſed natum labente nono menſe; idque propter motionem illam à Nazareth uſque ad Bethleem intervallo ſcilicet milliarium circiter ſeptuaginta, acceleratum partum ferè duabus hebdomadibus, hinc mirum non eſt natum fuiſſe die 25. Decembris, Jul. anni 41 exeuntis feria ſecunda Luna 25. menſis Judaici Tebet, qui eſt menſis Decimus, concurrente tunc utroque menſe Judaico, & Romano, quod notatu dignum eſt, & poſt menſes Lunares, ſeu Judaicos quatuordecim à conceptione Joannis Baptiſtæ exactè. Notatu etiam dignum, Incarnationis die eo veſpere ortam Neomeniam ſecundi menſis, ſiquidem præcedens Lunatio fuit primus menſis, & Paſchalis, cum ejus quartadecima non præceſſerit diem æquinoctii ejus temporis, nempè diem 23. Martii; at ſecundo Menſe jacta olim Templi Salomonici fundamenta, quod Chriſti Domini fuit figura.

CA-

CAPUT TERTIUM.

De adventu Magorum, & Infanticidio, & cur iſta Joſephus tacuerit.

I. POſt diem, quâ natus Chriſtus, aliquo brevi temporis intervallo Magi, ut puto, ex Chaldæorum regione Jeroſolymam advenerunt juxta Matth. cap. 2. ver. 1. *Cum ergo natus eſſet Jeſus in Bethleem Judæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam* &c. ubi *ay ecce* denotat exiguum tempus poſt Nativitatem. Verùm Magi etſi noſcerent tunc verè natum Chriſtum, quia Stellæ ductu huc venerant, ut illum adorarent, ignorabant tamen tum locum, ubi reperiretur, unde dicebant: *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum?* tum etiam tempus præcisè, quo jam natus fuerat; nam Stella apparitione ſuâ ſolùm jis indicavit tempus, quo ab illis profectio eſſet inſtituenda versùs Judæam, exiſtimabant tamen natum intrà biennium, quod effluxerat uſque ad illud tempus, fortè quia biennio ante fuit conjunctio ſuperiorum Planetarum in principio Signi Arietis, quam ex Dei revelatione noverant velut temporis characterem, ſignumque magni eventus, videlicet Ortus Meſſiæ; erant enim Magi, h. e. ſapientes, & in Uranologia periti, propterea hoc ſigno eoſdem traxerat Deus. Hæc autem ratio, cur Herodes occidi mandavit infantes *à bimatu, & infra juxta tempus, quod exquiſiverat à Magis.*

II.

Digitized by Google

II. Joſephus alioquin diligens author, infanticidium omninò reticuit, quod tamen non eſt credibile ipſum ignoraſſe, cujus fama Romam uſque pervenit, ut refert Macrobius lib 2. Saturn. cap 4. Cur ille prætermiſerit, rationem facilè invenio, quia ſi illud narraſſet, oportuiſſet etiam motivum referre tanti facinoris, videlicet, quò in numero occiſorum, nuper natus Judæorum Meſſias, ſeu Rex comprehenderetur; quod ſi feciſſet, oportuiſſet narrare, quod à Judæis firmiſſimè, & religiosè credebatur de hoc Rege futuro, & ut quid in Sacris eorum libris prænunciabatur. Itaque vel hunc Regem fuiſſet interpretatus juxta ſenſum Chriſtianorum, videlicet non eſſe Regem de hoc Mundo, & carnalem, ſicut olim fuerant David, & Salomon, ſed alterius longè generis, nempè ſpiritualem, æternum, cujus Regnum cœleſte, & inviſibile ante diem Judicii, viſibile autem poſtea poſt communem cunctorum hominum reſurrectionem; ſi inquam, hoc pacto Meſſiam hunc fuiſſet interpretatus, Chriſtianum ſe eſſet faſſus, quod nolebat, quia ipſe verè Chriſtianus non erat; & licèt horum laudaſſet profeſſionem, non tamen hanc ipſe amplexus utpotè indecoram, & apud Romanos, quorum benevolentiam, & exiſtimationem ipſe captabat, & apud ſuos Judæos; viſibilia enim bona quærebat, non inviſibilia. Vel hunc Meſſiam retuliſſet qualem communiter expectabant Judæi, qui nempè antiquum, & ferè extinctum Iſraeliticum Regnum eſſet ſuſcitaturus (ut patet ex interrogatione, quam fecerant ad Chriſtum Act. cap. 1. ver. 6.) Judæus ipſe, & ex

ſtirpe

ſtirpe Davidis, & ampliùs cunctos alios Reges ſubjecturus, & futurus Summus totius terreni Orbis Monarcha; ſi inquam, talem Meſſiam retuliſſet, atque eo tempore, quo Judæorum natio Romanis ſervire coacta; procul dubio non conſuluiſſet ejuſdem decori, ſecus ac ſemper egerat in ſua hiſtoria, ſed totius Mundi ludibrio, & irriſioni eam dediſſet, ſuamque Religionem, Libroſque Sacros in contemptum conjeciſſet, utpotè in quibus adeò incredibilium rerum continerentur vaticinia; fontemque aperuiſſet tot ſeditionum illius gentis, videlicet ſtultam fiduciam, & ſuperſtitioſam credulitatem, unde illa ipſa gens Romanis exoſa, & excidio mulctanda ſemper magis videretur.

III. Itaque Joſephus noluit videri, neque verè fuit Chriſtianus; neque voluit videri Judæus quoad vulgarem cæterorum Judæorum opinionem, ſeu potiùs errorem de Meſſia; utrumque enim indecorum arbitrabatur; & ſecundum non ſolùm indecorum, ſed etiam Romanæ Politicæ contrarium, offenſivum, & ſeditioſum. Idcircò peculiarem opinionem talem de Meſſia excogitavit, quæ verè Sacris Scripturis non cohærebat, ex quibus futurum Meſſiam de ſemine *Abrahami*, & Davidis deducitur; ſed quæ Romanorum genio indulgebat, atque ad eorum favorem promerendum aptiſſima, & præſertim tunc imperantis Principis Veſpaſiani. Itaque hujus Meſſiæ, ſeu Regis, & Monarchæ titulo intelligebat non aliquem ex Judæorum genere, ſed præfatum Imperatorem, qui dum in finibus Judeæ reperiebatur

hanc

hanc ſupremam obtinuit dignitatem, quique finem Judaicæ Reipub daturus foret, non verò eam, Regnumque refecturus. Legamus, quod ſcripſit lib. 7. de Bello cap. 12. in fine: *In ſacris litteris inventum, quòd eo tempore* (h.e. cum excideretur Judæorum Regnum, & Reſpub.) *quidam eſſet ex eorum finibus* (noluit dicere ex eorum natione, & ex Davidica progenie, quod verè in ſacris litteris continetur) *Orbis terræ habiturus Imperium. Id enim illi quidem quaſi proprium acceperunt, multique ſapientes interpretatione hac decepti ſunt* (hos intelligit cunctos Judæos, & Chriſtianos) *Hoc autem planè oraculo* (propriam hìc exprimit opinionem, ſeu potiùs errorem) *Veſpaſiani deſignabatur Imperium, qui apud Judæam creatus eſt Imperator*. Interpretatio illa, quâ Meſſias habendus non ſit tanquam reſtaurator Judaici Regni, itaut Regnum ſit in perſona ex genere Judaico, non fuit inter Judæos ſolius Joſephi, ſed etiam aliorum, nempè Herodianorum, qui Herodem pro Meſſia habuerunt utpotè illum, qui à Judæorum ſemine Regnum abſtulerat, cum ſeipſum Regem fieri curavit, obtinuitque.

IV. Cum Jeroſolymam pervenerint Magi paulò poſt Chriſti ortum, iiſdem fuit neceſſe in ea Urbe diutiùs immorari, reſponſum expectantibus de loco, ubi natus Rex ille parvulus, ad quem adorandum venerant. Triſti hoc nuntio, & inexpectato, perculſus Herodes, conturbatus non mediocriter fuit, namque ſciens quanto odio ſe proſequerentur Judæi, ſuſpicabatur hos ſpe erectos res novas pertentaturos. Neque Judæi minùs tri-

ſtaban-

ſtabantur, dum ſe ſub viribus tanti tyranni videntes, verebantur eum in ſeipſos ſæviturum magis, quàm unquam. Concilium autem coactum ſæpiùs ex Senioribus, & Sacerdotibus, in quo minus opus erat ſacros Libros ſcrutari de loco, ubi naſciturus Meſſias; ſed majus erat, quomodo res agenda cum Herode: ſtatutum tandem, ut afferretur locus Micheæ cap. 5. verſ. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio à diebus æternitatis*. Quare Magis reſponſum, locum quem quærebant eſſe Bethlehem Jeroſolymâ diſtantem quinque milliaribus meridiem versùs; hinc eò euntibus ſtatim denuò apparuit Stella ipſos ducens, quæ toto tempore, quo Jeroſolymis morati ipſos latuit. Vix poſt diſceſſum illorum, ut redirent in patriam ſuam impleti ſunt dies purgationis, ſicut dicitur Lucæ cap. 2. ver. 22., unde opus erat Joſepho, & Mariæ cum puero Jeroſolymam proficiſci secundùm Legem Moyſis; erat autem functionis dies quadrageſima à Nativitate. Eorum erat intentio poſt ipſam functionem iter ſuum proſequi in Galileam, & Nazareth in domum ſuam, ideò ſcripſit Lucas ejuſdem cap. verſ. 39. *Et ut perfecerunt omnia ſecundùm Legem Domini, reverſi ſunt in Galileam in Civitatem ſuam Nazareth*. Sed verè tunc actualiter, & in executione non ſunt reverſi, referente alio Evangeliſta Matthæo, ſcilicet cap. 2. ver. 13. *Qui* (Magi) *cum receſſiſſent, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens, ſurge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum;*

futu-

futurum eſt enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum &c. Non enim tutum erat in quovis loco Regni ejus morari. Illis autem in Ægyptum profectis, puerorum cædem executus non ſolùm in ipſo oppidulo Bethlehemi, ſed in omnibus finibus ejus, intrà quos erat Rama villa quædam in excelſo loco (Rama etenim excelſum aliquod ſignificat), quæ versùs Occaſum hyemalem ſita reſpectivè ad Bethlehem, atque ab hoc diſtans milliaribus ferè novem; verùm Matthæus citat locum Jeremiæ cap. 31. ver. 15. ubi eſt ſermo de alia Rama, quæ eſt in Tribu Beniamin diſtans à Jeroſolyma versùs Boream flectendo ad Ortum milliaribus decem, & quindecim à Bethlehem, ut intelligas eò uſque infanticidium effuſum comprehensâ etiam ipsâ Urbe Jeroſolymâ.

CAPUT QUARTUM.

De Cenſu Quirinii.

I. OMiſit etiam Joſephus deſcriptionem illam, quæ facta fuit tempore Nativitatis Chriſti ex Lucæ cap. 2. à Præſide Syriæ Cirinio, ut ibi ſcribitur, ideſt Quirino, vel Quirinio. Sed notandum tunc Quirinum non fuiſſe Syriæ Præſidem, quod cum noverit Tertullianus lib 4. contra Marcionem cap. 19, ſcripſit Cenſum illum actum per Sentium Saturninum, quem tunc Syriæ Præſidem fuiſſe exiſtimavit; at certum eſt, neque illum tunc fuiſſe, ſed ejus ſucceſſorem Quintilium Varum, nam ex Numiſmate apud Pagium in Appar. ad

annum Jul. 40. num. 136. Varus erat Syriæ Præſes anno 25. à Victoria Actiaca juxta Eram Antiochenam; hic annus 25. incipiebat ab Autumno anni Jul. 39., & terminabat in Autumno anni 40., ergo non potuit eſſe Syriæ Præſes Saturninus in fine anni 41., quando natus eſt Chriſtus; ſed neque in fine anni 40., ubi à Pagio Nativitas collocatur, ſed debuiſſet illam collocare in fine anni 39., ſi ſequi vellet Tertulliani opinionem de Cenſu Saturnini, quod tamen non fecit. Erravit ergo dupliciter Tertullianus, tum quia poſuit auctorem Cenſus Saturninum, cum Lucæ deſcriptionem non egerit Saturninus, ſed Quirinus; tum quia vel ignoravit tempus Præſidum Syriæ, quod nos Numiſmatum beneficio novimus; vel Chriſti Nativitatem antiquiorem fecit, quàm par ſit. Non erat igitur, cur ipſe Pagius deſeruerit priorem, quam ipſe tenuerat, ſententiam Dekeri de anno 41. Jul. Chriſti natalium, ſcilicet ut Tertulliani ſenſum ſequeretur, quia, ut id obtineret, debuiſſet non uno tantùm anno ea anticipare, ſed duobus. Porrò quod dicit, Cenſum actum fuiſſe à duobus Viris, nempè à Saturnino, & Quirino parùm probabile, parùmque veritati conſentaneum, & Lucæ narrationi diſſonum videtur, nam in ipſa omitteretur principalis actor, qui eſſet Saturninus, & quod Saturnini eſſet, Quirino tribueretur, nempè Præſidis officium.

II. In aliam itaque perſonam, quàm in P. Sulpitium Quirinum collatum non fuiſſe munus obeundi Deſcriptionem illam in Judæa, de qua Lucas Evangeliſta, dicere non poſſumus, ſalvo ejuſ-

Digitized by Google

ejuſdem teſtimonio. Tota difficultas reducitur ad id, quod ibi ſcribitur: *Syriæ Præſide;* cum certum ſit tunc Quirinum non fuiſſe Syriæ Præſidem, ſed Varum; neque fuiſſe Syriæ Præſidem, niſi anno Jul. 51., vel 52., cùm in exilium acto Archelao, ipſe miſſus à Cæſare Auguſto in Syriam, ut narrat Joſephus cap. 1. lib. 18., egit in Judæa Cenſum, reſpectu cujus hæc Deſcriptio, de qua locuti ſumus, dicitur *Prima*, quam cum *Secunda* confundens Euſebius inſigne commiſit anachroniſmum. Neque difficultas eſt, quòd id muneris tribuerit Auguſtus Quirino, non autem Varo Syriæ Præſidi, quia Judæa tunc nondum erat Syriæ aggregata, ſed ex ſe Regnum, vivo Herode Rege. Reſpondent difficultati Petavius lib. 12. cap. 8. & alii recentiores verbum Græcum ἡγεμονεύοντος non ſignificare ſolùm ordinarium Præſidem, ſed etiam extendi ad ſignificandum quocunque titulo imperantem. Benè eſt, ſed tunc Quirinus nullo titulo in Syria imperabat; paulò ante imperavit in Cilicia, ſed Cilicia à Syria diverſa erat Provincia. Dicendum ergo eſt, narrationis Lucæ hunc ſenſum eſſe: Deſcriptionem illam factam à Quirino Viro notiſſimo ob poſteriorem alium Cenſum factum, cum eſſet Syriæ Præſes: *Hæc deſcriptio prima facta eſt à Syriæ Præſide Cirino*, hoc eſt: Hæc deſcriptio prima facta eſt ab eo, qui poſtea fuit Syriæ Præſes famâ notus, Quirino ſcilicet, & tunc ſecundam fecit, qui primus fuit inter Syriæ Præſides, cui Judæa ſubjiceretur, tunc primùm Syriæ aggregata. Hæc eſt paraphraſis ver.2. cap.2. Lucæ.

CAPUT QUINTUM.

De Auguſti morte, & ſucceſſione.

I. DUm decimum octavum annum ætatis ſuæ percurreret adoleſcens Chriſtus h. e. dum eſſet in curſu 14. annus vulgaris Eræ, & 59. Jul., U. C. 767. Conſs. duobus Sextis Pompejo, & Apulejo, objit C. Octavianus Cæſar Auguſtus horâ diei nonâ, ut Suetonius ait, diei 19. Auguſti: ea hora emortualis fuit duobus Monarchis Cœleſti nempè, & terreno (octava Cœli Domus, in cujus medio tunc Sol reperitur, ab Aſtrologis Domus mortis nuncupatur). Subjungit Suetonius *ſeptuageſimo & ſexto ætatis anno, diebus quinque & triginta minùs;* quia ejus nativitas ab eodem relata die 23. Septembris. Verùm quia natus M. Tullio Cicerone, & Antonio Conſs. h. e. anno Urbis 691., & ante annum Correctionis, nempe Primum Julianum, qui fuit annus Urbis 709., eo anno, quo natus, dies 23 Septembris non reſpondebat eidem diei poſt Correctionem, ſed tribus circiter menſibus præibat, nam ultimo anno ante Correctionem Confuſionis appellato, additi fuere in fine tres menſes, quibus elapſis, cœpit annus novus Correctionis, ejuſque Januarius; quare Auguſtus natus potiùs circa finem Junii anni Juliani proleptici, & circa Solſtitium æſtivum; & paulò ante Solis exortum ex Suetonio. Itaque vixerat Auguſtus annos ſeptuaginta ſex ſolidos veros Solares, & ampliùs, paulò minùs, quàm duos menſes; quare benè

benè ſcripſit Joſephus cap. 3. lib. 18. Antiq. vixiſſe annos 77. h. e. incompletos.

II. Aitque etiam Joſephus, Auguſtum præfuiſſe Reipub. annos 57. & ampliùs ſex menſes, & duos dies, h. e. à morte Cæſaris, qui occiſus fuerat anno Urbis 710. & 2. Jul. die 15. Martii. Verùm hæc Joſephi computatio ſi comparetur ad annum Solarem Julianum reperitur excedens, nam à morte Cæſaris ſupra ſolidos annos 57. non computantur niſi menſes quinque, & dies quatuor, imò & in anno Lunari eſt quoque excedens, etenim deſunt viginti dies ad complementum ſex menſium. Sed quia nuntium in Palæſtinam ſeriùs pervenit de morte Auguſti, & ſucceſſione Tiberii, fortè id temporis ſuperadditum in Joſephi computo. Subjungit hìc: *Ei Tiberius Nero privignus ſucceſſit Juliæ filius*, h. e. Liviæ, quæ ſecundò nupſit Auguſto, & priùs uxor fuerat Tib. Claudii Neronis, cui peperit duos filios, Tiberium nempè hunc, qui Auguſto in Imperio ſucceſſit, & Druſum Germanicum: Ex Auguſto autem nullam tulit prolem, cui ante Liviam uxor fuit Scribonia, ex qua genuit Juliam, quæ nupſit primùm M. Marcello, cui nulla proles; Secundò M. Vipſanio Agrippæ, cui peperit tres mares Cajum, & Lucium Cæſares, & Agrippam poſthumum, duaſque fœminas Juliam nempè, & Agrippinam; Tertiò nupſit Tiberio, è quo nulla tulit prolem. Conjecerat Auguſtus totam ſuæ ſucceſſionis ſpem in Cajum, & Lucium, quos proinde in familiam Cæſarum induxerat, ut ait Tacitus, filioſque adoptavit. Cajus major natu ortus anno Urbis 734., h. e.

h. e. Jul. 26. Lucius anno 737. h. e. Jul. 29. ex Dione lib. 54. Cajus cum eſſet annorum 14. deſſignatus Conſul, & deinde etiam Lucius, qui & Principes Juventutis declarati, quod *ſpecie recuſantis* Auguſtus *flagrantiſſimè concupiverat*, inquit Tacitus. Interim Tiberio ad levandam invidiam, Tribunitiam Poteſtatem in quinquennium tribuit, & Provinciam Armeniæ, quod factum anno Jul. 40., *Pagius.* quò tamen non profectus, cum res eſſent pacatæ, Rhodum tamen petiit, velut in ſeceſſum, ut fugeret odium adoleſcentum, dum iſtorum res florebant; æmulatio enim gliſcebat inter illos, & Tiberium, cum illi eſſent filii adoptivi Auguſti, & ex filia nepotes; ille privignus, matriſque favore munitus; tamen erat opus, ut Tiberius illis cederet, neque Romam regredi ei datum exacto quinquennio Tribunitiæ poteſtatis, niſi Cajus conſentiret, & *ſub conditione, ne quam partem, curamque Reipub. attingeret*. Sueton. in Tiberio cap. 13.

III. Traditur poſtea Cajo expeditio in Orientem, cùm erupit bellum anno Jul. 44 poſt pacem, quæ annos aliquot circa tempus Nativitatis Chriſti perduraverat. M Lollium tanquam juventæ Moderatorem ei junxit Auguſtus. Erat tunc adhuc Rhodi Tiberius, cùm Cajus Græciam pertranſivit; navigavitque Rhodo Chium, ubi ipſe Cajus reperiebatur, ut eum ſalutaret privignum. Re à Cajo fœliciter geſtâ primùm in Arabia, poſtea pace cum Partho peractâ, poſt quam extincto bello, illi datus rector P. Sulpitius Quirinus (is, qui in Judæa deſcriptionem illam egerat, de qua Evangeliſta nati Chriſti tempore) in Armeniam profi-

proficiſcenti, exacto triennio ab hujus expeditionis initio. In Armenia Cajus à Præfecto per invidiam vulneratus, & dum in Italiam reverti vult, in Lycia moritur anno Jul. 49., & vulgaris Chriſti Eræ 4. ætatis ſuæ 23. Lucius frater etiam priùs mortuus Maſſiliæ, dum Hiſpaniam peteret; neque plùs temporis, quàm menſes 18. interjecti inter duorum horum fratrum mortem, quos fortè, ut innuit Tacitus, *Novercæ* (h. e. Liviæ) *dolus abſtulit*. Itaque his ſublatis, tertio fratre Agrippa poſthumo in Inſulam Planaſiam Tiberii artibus relegato, qui, ut ait Tacitus, *ſanè rudis bonarum artium, & robore corporis ſtolidè ferox, nullius tamen flagitii compertus;* reliquum erat, ut Tiberius ipſe Auguſti privignus in omnem evectus dignitatem à ſene Imperatore, huic ſuccederet in Imperio; quo facto *Primum facinus* (ait idem Author) *novi Principatus fuit Poſthumi Agrippæ cædes, quem ignarum, inermemque, quamvìs firmatus animo Centurio ægrè confecit*. Dio cauſam hujus occiſionis affert, quia res novas ille moliebatur. Succeſſionis itaque Tiberii in Imperio ratio liquet.

CAPUT SEXTUM.

Exponitur primus verſus Cap. 3. Lucæ.

I. D. Lucas cap 3. ſic exorſus: *Anno autem quintodecimo Imperii Tiberii Cæſaris, Procurante Pontio Pilato Judæam, Tetrarchâ autem Galileæ Herode, Philippo autem fratre ejus Tetrarchâ Itureæ, & Trachonitidis regionis, & Lyſaniâ Abilinæ*

Tetrarchâ. Primùm inquiritur de principio illius Tiberiani Imperii ſecundùm ipſius Evangeliſtæ ſenſum. Duplex hoc initium excogitamus: Primum ab obitu Auguſti. Alterum à tempore, quo ipſe Tiberius cum Auguſto fuit in Imperio Collega. Apud Antiochenſes, & in Syria, ab obitu Auguſti, imò aliquot diebus infra illud præciſum tempus Tiberii annos numerabant: vitâ functus Auguſtus die 19. Auguſti menſis anni Jul. 59., & Eræ Chriſti vulgaris 14. Conſs duobus Sextis. Ex Nummis, quos affert Card. Noriſius in lib de Epochis Syro-Maced. cap 7. differt. 3. connectitur annus primus Tiberii cum 45. Antiochenſium, h. e. ab Actiaca pugna in uno ex illis Nummis; in altero annus tertius Tiberii cum anno 47. Conveniunt authores perduraſſe Auguſti Monarchiam ab Actiaca victoria 44 annos, demptis tot diebus, quot à die 19. menſis Auguſti ad diem illam Septembris, quâ præfata contigit victoria, anni Jul. 15. Igitur initium Imperii ipſius Tiberii collocabitur juxta hanc rationem præfato anni tempore anni Jul. 59., & Eræ Chriſti vulgaris 14. à Syris, & Antiochenſibus; unde quintus decimus incœpiſſet anno ejuſdem Eræ 28.

Tacitus.

II. Alterum initium excogitamus à tempore, quo idem Tiberius fuit Imperii Collega cum Auguſto. Suetonius in Tiberio cap 20. narrat ipſum è Germania in Urbem regreſſum triumphaſſe, mox ſubdit: *Dedicavit & Concordiæ ædem, tum Pollucis, & Caſtoris ſuo, fratriſque nomine, de manubiis. Ac non multò poſt lege per Conſules latâ, ut Provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret, ſimul-*

ſimulque Cenſum ageret; condito luſtro in Illyricum profectus eſt, & ſtatim ex itinere revocatus jam quidem affectum, ſed tamen ſpirantem adhuc Auguſtum reperit: fuitque unà ſecretò per totum diem &c. A' Suetonio nonnihil diſſentit Vellejus lib. 2. n. 763., ſeu cap. 120. Decretum referens Senatus, Populique Rom. *poſtulante patre ejus, ut æquum ei jus in omnibus Provinciis, exercitibuſque eſſet, ſicut erat ipſi.* Idque ante ejus adventum in Urbem, tamen poſt res præclarè geſtas, & cum regreſſum moliretur; at ſive ante, ſive poſt triumphum non eſt magna temporis differentia; triumphus Tiberii contigit, ut notat Sigonius in Faſt., & Triumph. Rom. anno Urbis 764., h. e. 765. à Palilibus anni illius initio, qui vulgaris Chriſti Eræ erat 12.; unde primus annus Tiberii, quatenus Collegæ Auguſti, erat certò hic idem annus, ergo vulgaris Eræ 26, ſive Jul. 71., erat quintus decimus Tiberii juxta hanc ſecundam Epocham.

III. Itaque hæc perpendenda: Anno nono vulgaris Eræ accidit in Germania clades Variana. Eodem tempore Tiberius totum Illyricum longè, latèque extenſum ſubjugaverat; regreſſus in Urbem non triumphavit, re dilatâ propter mœſtam Civitatem. Proximo anno, qui fuit vulgaris Eræ decimus, Tiberius in Germaniam miſſus ad res temeritate, vel ſocordiâ Vari prolapſas conſtituendas. Poſt biennium regreſſus in Urbem triumphavit, h. e. triennio poſt cladem Varianam; ergo triumphavit vulgaris Eræ anno duodecimo, qui primus fuit Tiberiani Imperii in Provincias. Ex vi legis, vel decreti, quo Collega cum Auguſto,

ſic

ſic enim vocat Tacitus, etiam ſtatutum, quòd cum eodem Cenſum ageret; hic tamen Cenſus nonniſi duobus ab hic annis factus, nempè anno quartodecimo, centum dies ante mortem Auguſti, inquit Suetonius, h. e. Maji die duodecimo, mortuus enim die 19. Auguſti, ſeu Sextilis menſis. Poſt hunc Cenſum profectus in Illyricum Tiberius, qui ſtatim revocatus &c.

IV. Fuit ergo in Tiberio poſt Auguſti obitum Poteſtas Imperatoria Monarchica, & ſine ulla limitatione. Verùm triennio penè ante obitum Poteſtas Imperatoria non Monarchica, quia cum Collegâ; & circà omnes Romani Imperii Provincias, non autem in ipſa Urbe totius Imperii Metropoli; quâ diſtinctione à Populis, vel ignoratâ, vel neglectâ, quod erat præcipuum tantumodò conſiderarunt, unde ejus Imperii epocham agnoverunt ſolùm tempus illud, quo ille defuncto ſucceſſerat Auguſto. Verùm Sacer Hiſtoricus, in quo non potuit eſſe ignorantia, neque negligentia, abſolutè imperantis in Provinciis (in quibus multò major Chriſtianorum pars habitabat, h. e. Catholica Eccleſia) annos ennumeravit, ſive cum alterius conſortio, ſive non; unde ipſe Lucas Evangeliſta cùm dicit: *Anno quintodecimo Imperii Tiberii Cæſaris* intelligit ab initio Poteſtatis Imperatoriæ in Provincias, quamvìs cum Auguſti conſortio. Igitur cum quintodecimus annus ſecundùm Lucam, ex ſupra dictis fuerit vulgaris Epochæ Chriſti vigeſimus ſextus, & Jul. 71 eo anno incœpit prædicatio Joannis Baptiſtæ; puto autem ſeptimo menſe Judaico occaſione ſolemnis Jejunii, & pu-

blicæ

blicæ Pœnitentiæ; eodemque tempore Chriſtum baptizatum, & ita primò manifeſtatum annis tribus cum ſemiſſe ante ejus Paſſionem, dum erat in curſu ejus annus trigeſimus complendus, exeunte eodem anno.

V. *Procurante Pontio Pilato Judæam*. Eo tempore erat Procurator ſeu Præſes in Judæa Pontius Pilatus, & quidem Quintus; Primus enim, ex quo regio in Provinciam Populi Romani redacta, & Syriæ aggregata fuit Copronius ex Joſepho cap 1. lib. 18, qui cum Quirino venerat generali totius Syriæ Præſide. Secundus fuit M. Ambivius cap. 3. Tertius Annius Rufus, cujus tempore mortuus Auguſtus. Quartus (non Quintus) miſſus à Tiberio Valerus Gratus, qui Judæam rexit annos undecim.

VI. De duorum fratrum, Herodis Antipæ ſcilicet, & Philippi Tetrarchia nulla eſt difficultas. Eſt quidem de Lyſania; certum eſt, eum jamdudum interfectum juſſu M. Antonii, id flagitante Cleopatra Ægypti Regina ex cap 4 lib 15. Joſephi, quò ipſa ejus arriperet ditionem. Poſtea Zenodorus quidam ejus ditionem conduxit ex cap. 13., qui non contentus his proventibus, fovebat latrocinia, quæ in ea regione admodùm frequentia, itaut querelæ pervenerint ad Varum Syriæ Præſidem, quò haſce injurias Cæſari per litteras ſignificaret. Ille reſcripſit expugnanda latronum receptacula, eamque regionem ditioni Herodis contribuendam, ſic enim fore, ut ejus providentiâ iis malis caveretur in poſterum. Hinc poſt breve tempus mortuo etiam Zenodoro, Cæſar

ipſe

ipſe in Syriam progreſſus, Herodem ditavit novâ acceſſione illarum regionum, quæ ſub poteſtate præfati Zenodori fuerant, & priùs Lyſaniæ. Deinde poſt mortem Herodis, cum idem Cæſar Herodis Regnum ejus filiis diſtribuiſſet, præfatas regiones Zenodori, & Lyſaniæ Philippo tribuit cap. 13. lib. 17. Difficultati tamen reſpondetur, illarum regionum, quæ Philippo obtigerunt, minima pars fuit illa, quæ Abilina dicitur, h. e. tractus circà oppidum Abila in Cœleſyria poſitum inter Panneada, ſeu Cæſaream Philippi, & Damaſcum; De hoc parvo tractu, ejuſque poſſeſſione datâ huic Lyſaniæ, de quo Lucas, nulla mentio apud Joſephum. Lyſanias autem hic junior facilè filius fuit ſenioris Lyſaniæ; de quo ſupra dictum.

Baudrant. Geogr.

VII. Subdit Lucas ver. 2. *Sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha, factum eſt verbum Domini* &c. De Pontificum ſucceſſione ab ultimo Aſſamonæorum Ariſtobulo adoleſcente, quem Herodes in Hiericunthina piſcina præfocari juſſit, uſque ad præſens tempus hìc agendum puto. Vidimus c. 14. p. 1. n. 6. Herodem, ſublato Antigono ultimo Aſſamonæorum Rege, è Babylone advocaſſe Ananelum Sacerdotem, quò ei Pontificatum tribueret; deinde ad ſedandas muliebres domus ſuæ querelas, utquid Pontificem fecerit Ariſtobulum adoleſcentem uxoris ſuæ fratrem, privato Ananelo; hunc autem reſtituit, defuncto Ariſtobulo. Poſtea de creatione novi Pontificis Joſephus non loquitur, niſi cap. 12. lib. 15., ubi narrat Herodem, cum ſibi in matrimonium copularet filiam

Simo-

Simonis Sacerdotis, huic ſummum Sacerdotium largitum fuiſſe, ademptum à Jeſuah Phabetis filio. Erat autem Simon Boethi filius Alexandrini, h. e., qui habitaverat Alexandriæ. Poſt Simonem fuit Pontifex Matthias, quo depoſito, ei ſubrogavit Herodes ſuæ uxoris fratrem Joazarum paulò ante eam Lunæ eclipſim, poſt quam uſque ad mortem graviter ægrotavit; nempè quæ præceſſit diem 13. Martii; unde conſtat Matthiam fuiſſe Pontificem tempore Nativitatis Chriſti, antecedenti ſcilicet Decembri. Erat Joazarus filius Simonis Pontificis, & nepos Boethi, non filius, unde fallitur Joſephus, ſi erat frater uxoris Herodis filiæ Simonis, ut dixerat cap. 8. lib. 13. Joazarus iſte auctoritate ſuâ populum compeſcuit, ne reluctaret Cenſui à Quirino poſt Archelai relegationem faciendo. Interruptus tamen ejus Pontificatus ab Archelao, qui initio ſui Principatus Româ regreſſus, eum abrogavit, ejuſque dignitatem in Eleazarum illius fratrem collocavit; poſtea denuò Joazarus Pontifex fuit, at propter plebis ſeditionem contra ipſum Quirinus hac dignitate eum privavit, eique ſubſtituit Ananum Sethi filium cap. 13. lib. 18. Poſtea Valerius Gratus à Tiberio miſſus Judeæ Procurator, Anano adempto, Iſmaelem Fabii filium Pontificem eſſe juſſit, quò etiam paulò poſt dejecto, in Eleazarum Pontificatus honorem tranſtulit Anani filium. Elapſo deinde anno, & hunc redegit in ordinem, & Simoni Camithi filio Pontificatum tribuit. Sequenti itidem anno alium ſubrogavit Joſephum, cognomine Cajapham.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Sed poſtea Grato Romam repetenti ſucceſſor miſſus Pontius Pilatus, qui Judæam rexit decem ſolidos annos, ut ex Joſepho colligitur in fine cap. 5. lib. 18., quibus exactis, Romam proficiſci jubetur à Vitellio tunc Syriæ Præſide, reſponſurus apud Tiberium Cæſarem ad objecta per Judæos crimina; quò priùs quàm perveniret, Tiberius è vita exceſſit. Miſſo autem Marcello in locum Pilati à Vitellio, hic mox in Judæam profectus Jeroſolymam pervenit in ipſa Paſchatis feſtivitate. Ille erat annus Chriſti 36., ergo Pilatus in Judæam venerat anno vel 25., vel 26. initio. Videtur, quòd toto tempore, quo rexerat Pilatus unus tantùm fuerit Pontifex Cajaphas, in cujus poſtea locum poſt præfatum Paſcha à Vitellio ſubrogatus Jonatha Anani filius; & verè hoc diceremus, ſi aliud teſtimonium non haberemus præter Joſephum. Verùm aliud aſſerere cogimur ex teſtimonio tum Lucæ, tum Joannis.

IX. Vidimus ſuprà num. 4 in fine Valerium Gratum quotannis mutaſſe Pontificem; hinc mos introductus Pontificatus annui toto Pilati tempore, reduxit tamen iſte ad duos tantùm Viros hanc dignitatem, quâ alternatim ornarentur, nempè Ananum ſocerum, & ad Cajapham generum; ideò in præfato textu Lucæ dicitur: *Sub Principibus Sacerdotum Annâ, & Caiphâ*. Hinc Joannes cap. 11. ver 49. *Unus autem ex illis Cajaphas nomine, cum eſſet Pontifex anni illius* &c. erat ergo tempore Paſſionis Chriſti Pontifex annuus Cajaphas. At poſt illud Paſcha ſubintraverat Ananus, ſive Annas; hinc Lucas Act. 4. ver. 6. *Et Annas Princeps Sacerdotum,*

tum, & Caiphas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali; quare vides ſolum Annam vocari Principem Sacerdotum, h. e. Pontificem, anni nempè illius à Paſchate incipientis. Cum autem deventum fuerit ad annum 36, poſt cujus Paſcha ſubintrare debebat Annas in locum Cajaphæ, vel quia ille jam defunctus, vel ob nimiam ſenectutem, ejus filius Jonathas ſubrogatus à Vitellio.

CAPUT SEPTIMUM.

De tempore, quo Chriſtus fuit paſſus.

I. Celeberrima eſt iſta Quæſtio, atque ingens hac in re eſt opinionum diverſitas, ſi excipiamus priſcos illos Patres non paucos, qui in eo ſenſu fuerunt, ut putarent Chriſtum paſſum anno, quo fuere Conſs duo Gemini, h. e. Jul. 74. & vulgaris Eræ 29. dieque 25. Martii. Sed, ut incipiamus ab examine hujus ſententiæ, quam jamdudum à pluribus rejectam, & à Baronio ipſo, denuò renovavit Pagius in Critica ad Annales. Hæc ſententia fundatur ſuper quatuor hypotheſes. Prima hæc eſt: cùm in Evangelio Lucæ dicitur *Anno quintodecimo Imperii Tiberii Cæſaris,* ſupponitur Tiberii annos ab alio initio non ſumi, quàm ab Auguſti morte juxta primam Epocham ex duabus ſupra explicatis, cum ſecunda nunquam illis in mentem venerit. Secunda hypotheſis eſt, Chriſti prædicationem non fuiſſe niſi unius anni, idcòque eodem anno quintodecimo Tiberii dixe-

dixerunt, Chriſtum à Joanne baptizatum, & crucifixum, h. e. baptizatum eo anno ineunte, & crucifixum eodem expleto; & pariter baptizatum ineunte 30. anno ætatis, & expleto crucifixum; ideò Clemens Alex. qui cæteris præluxerat lib. 1. Strom. pag. 367. ſcripſit: *Et quòd anno ſolo oporteret eum* (Chriſtum) *prædicare, hoc quoque ſic ſcriptum eſt Eſajæ cap 17. Annum acceptabilem Domini prædicatum miſit me. Hoc & Propheta dixit, & Evangelium. Quintodecimo ergo anno Tiberii, & quintodecimo Auguſti ſic implentur triginta anni uſque ad tempus, quo paſſus eſt.* Tertia hypotheſis eſt, Chriſtum utpotè natum die 25 Decembris, conſequeretur conceptum die 25. Martii, ſic enim inquit Aug. ſerm. 22. de Tempore: *Conceptus eſt æquinoctio verno, & natus eſt ſolſtitio hiberno.* Quarta hypotheſis, Chriſtum paſſum eâdem die menſis Solaris anni, qua conceptus fuerat; & per conſequens paſſum die 25. Martii, quia ſupponitur conceptus die 25. Martii.

II. Harum hypotheſium Prima oritur ex ignorantia Herodianæ hiſtoriæ, quâ Chriſti Nativitas ab illis ponitur ſeriùs, quàm verè fuerit, & tempore, quo jam mortuus erat Herodes Rex; dum enim copulatur annus trigeſimus ætatis *Chriſti* cum quintodecimo Imperii Tiberii Cæſaris, ſequitur Chriſtum natum annis quindecim ante Auguſti mortem; at cum iſte mortuus anno Jul. 59., Chriſtus natus fuiſſet anno 44., vel ſaltem 43. exeunte, quo tempore in vivis non erat Herodes. Secunda hypotheſis Evangelio Joannis evidentiſſimè repugnat, ubi temporis, quo Chriſtus præ-

dica-

Digitized by Google

dicavit, tria ſaltem referuntur Paſchata cum emortuali, unde ejus prædicationis tempus comprehendit ſaltem ſpatium duorum annorum, & ampliùs. Tertia hypotheſis rejicitur ex eo, quod diximus Cap. 2. hujus Partis num. 10. Hinc circa quartam hypotheſim negatur conſequentia. Quintam etiam hypotheſim addidiſſemus, ſi de ea cogitaſſent antiqui illi Patres, nempè anno illi, dieique non repugnare illius temporis Kalendarium Judaicum. At quia de hac re cogitarunt Recentiores illi, qui eamdem opinionem de tempore Paſſionis Chriſti tueri conati ſunt, propterea hanc etiam hypotheſim examinare oportet.

III. Ex iis, quæ diximus in Pr. Parte Cap. 4. num. 5., & 6 conſtare debet, cum Lege per Moyſem à Deo datâ Iſraelitico populo annexam fuiſſe Anni formam Luni-ſolarem, quàm ideò religioſiſſimè, & quantùm poterant, exactiſſimè obſervarunt ſemper Hebræi, quod conſtanter, & unanimi ſenſu aſſeruere in ſuis libris Rabbini ex Traditione ab antiquis temporibus ad ſua uſque ſine interruptione derivatâ; & ante illos Philo, & Joſephus; ille in Vita Moſis lib. 3. *Moſes primum anni menſem facit eum, qui in Vernum æquinoctium incidit, non ſicut quidam, qui præcedentibus id honoris tribuunt, non obſervato naturæ beneficio* &c. Deinde ſubjungit: *Ejus menſis die quartadecimâ, ſub ipſum tempus, quo Luna ſuum orbem ſolet complere lumine, celebratur migrationis publica feſtivitas, quam Chaldaicè Paſcha nominant;* ubi nota verbum illud *celebratur*, non enim dicit Moſem celebraſſe, ſed ex vi Legis Moſaicæ præſenti tempore, h. e. ſuo tempore Ju- *pag. 934. mihi.*

K daæos

dæos Paſcha celebraſſe in eo ſtatu exiſtente Lunâ: Joſephus Antiq. lib. 3. cap. 10. *Menſe autem Xantico, qui noſtris Niſſan vocatur, & annum exorditur, Luna quartadecima, Sole Arietem obtinente, quoniam hoc menſe ab Ægyptiaca ſervitute liberati ſumus, ſacrificium, quod tunc exeuntes feciſſe diximus Paſcha nominatum quotannis inſtaurare Lege jubemur*. Ergo cognoſcebant Judæi illius temporis, quo vivebat Joſephus (eademque ratio tum de antiquioribus, tum de poſterioribus) ſe teneri præfato tempore ad Paſchæ celebrationem, & per conſequens ſe teneri ad obſervationem temporis, quo Sol ſit in Ariete, & Luna ſit quartadecima, h. e pleno ejus orbe, ad hoc ut determinato à Lege tempore, illud fieret.

IV. Neque par eſt ratio, ac de Chriſtianis, quos novimus ante Gregorianam Correctionem aberraſſe, à decretis antiquorum Patrum, & Conciliorum circa Paſchatis celebrationem, tum propter præceſſionem æquinoctiorum in anno Juliano ab Eccleſia ſervato, tum propter mutationem Noviluniorum, & minùs exactam rationem Cycli decemnovenalis. Nam primùm Chriſtiani agnoſcebant ſe non teneri hujuſmodi decretis, niſi humano jure, & Eccleſiam non eſſe ſupra Eccleſiam, ſecus ac à Judæis putabatur, ac ita ſe res habebat, ipſi enim ſe teneri Divino Jure credebant. Secundò hìc error à Chriſtianis commiſſus tantus non erat, quantus à Pagio, & aliis tribuitur Judæis, Chriſti tempore, qui putantes anno 29. vulgaris Eræ Judæos celebraſſe Paſcha die 25. Martii, putare etiam debebant celebraſſe Paſcha inte-

integrâ hebdomadâ poſt Plenilunium, & cùm in Cœlo Luna cunctis exhibebatur ſub ſpecie dichotomâ; ſiquidem ex calculo Luna fuit plena die 18. Martii. Tertiò error ille apud Chriſtianos non erat vulgo ſenſibilis, quia cum annus Chriſtianorum vulgaris non ſit Lunaris, ſed Solaris, Paſcha non eſt alligatum diei determinato menſis uſualis, & vulgaris, imò neque Plenilunio, ſed diei Dominico ſequenti, qui modo pluribus, modo paucioribus à Plenilunio diebus ſejungitur. Verùm apud Judæos Paſcha eſt alligatum diei determinato menſis uſualis & vulgaris, quo ſimul Luna eſt lumine plena, quod ſi non eſſet, quilibet è vulgo errorem perciperet, indicante numero dierum menſis, Lunæ ipſius ætatem.

V. Quod attinet ad Methodum, qua ſuum Kalendarium Luni-ſolare Judæi conſtituebant, antequam per nationes diſperſi fuerant, & dum adhuc eorum Reſpub. ſive Regnum ſubſiſtebat, conveniunt cuncti Judæorum Scriptores, & Rabbini, ipſos ex obſervatione primæ Phaſis Lunaris poſt Synodum, Neomeniam auſpicatos à tempore Moſis uſque. Nonnulli deputabantur periti in obſervationibus Lunarium phaſium, qui vel annuntiabant Sinhedrio Lunæ novæ veſpertinam apparitionem, vel ſi commodè non poterant, aut dum nubibus aer obducebatur, ex aliarum phaſium peritiâ conjiciebant tempus ipſum primæ Phaſis; & ita tubarum clangore Neomenia indicebatur, ſeu Menſis caput: monebantur de hoc Judicio miſſis nuntiis cuncti Judæi, qui intrà regionem illam habitabant; qui verò extra ipſam diſperſi

per alias regiones, judicabant & ipſi ex propria ſententia de Neomenia illa; at quia ignorabant præcisè Judicium Sinhedrii, dies feſtos duplicabant, ut ſi in uno die non convenirent cum iis, qui erant Jeroſolymis, convenirent in altero. Quoniam verò contingere poterat, peritos illos, qui deputabantur ad judicandum de prima Phaſe, cum non poſſent eam obſervare (quod frequenter evenire ſolebat) errorem unius diei commiſiſſe; quandoquidem facillimum erat eos in judicanda primâ Phaſe primi menſis Paſchalis ſic aberraſſe, dum exiſtimabant Synodum futuram citiùs unâ circiter die, quàm re vera, ex eo quia eo anni tempore Luna manè citiùs heliacè occidit, atque citiùs oritur veſpere, ut ſciunt Aſtronomi, & neſciebant illi, idque propter maximam obliquitatem Zodiaci relatè ad Horizontem matutino tempore, & è contra rectitudinem veſpertino tempore, unde æqualiter bipartiti tempus latentis Lunæ, opus erat Synodum anticipare pluribus horis, vel una circiter die, & conſequenter primam Phaſim; propterea mirum non eſt, frequenter anticipaſſe Civilem Neomeniam menſis Niſan, & conſequenter quartamdecimam Paſchalem, unde videbatur Menſis cœptus non à Phaſe, ſed à tempore medio inter Synodum, & Phaſim, vel etiam à Synodo. Determinato autem primo Menſe, & Paſchali, neceſſe illis non erat aliam obſervationem facere pro aliis menſibus, quos modò plenos, modò cavos efficiendo, Kalendarium integrum complebant.

VI.

VI. Suppoſitâ autem hac Methodo, quam in dubium vertere non poſſumus, & ſublato dubio, quo Judæi aliquo Cyclo uti potuerint, qui ſanè præfato tempore nullus erat, & argumento eſt mos ille duplicandi feſtivos dies ex ignorantia Judicii Jeroſolymitani apud exteros Judæos, quæ ignorantia non fuiſſet, ſi cunctis Judæis communis fuiſſet regula ex communi Cyclo, quemadmodum modò eſt communis recentioribus Judæis, qui adhuc ſervant veterem illum uſum duplicandi feſta, ſuperſtitiosè quidem, ceſſante illo motivo, quod olim erat, non enim ignorant dies præcisè obſervatas à Judæis Jeroſolymitanis. Suppoſitâ, inquam, præfatâ Methodo, ſi explorare velimus allata in ſacra hiſtoria tempora juxta Kalendarii Judaici dies, neceſſe eſt ea revocare ad trutinam, ſive correcti Cycli, vel tutiùs Aſtronomicarum Tabularum, quæ cujuſcunque regulæ ſunt origo, & fons; & ita agemus in caſu noſtro, cum noſcamus Chriſtum paſſum die quintadecimâ menſis Niſan Judaici feriâ ſextâ.

VII. Primùm excludimus annum Jul. 74., ſeu vulgaris Chriſti Epochæ 29., quia cum eſſet eo anno Cyclus Lunaris 11., & Solis 10., erat Novilunium die 4. Martii feriâ ſextâ; cum Chriſtus paſſus ſit die 15. Niſan feriâ ſextâ, Luna 15. cadens in diem 18. Martii non potuit eſſe dies, quâ Chriſtus paſſus, quia non potuit eſſe 15. Niſan, etenim tunc Sol nondum erat in Ariete, & Joſephus narrat non celebrari Paſcha, niſi Lunâ 14., exiſtente Sole in Ariete, de quo ſupra num. 3. Æquinoctium autem eo tempore civile priùs die

23. Martii ſtatui non potuit, ſi de vero Æquinoctio ſit ſermo; at Julius Cæſar Æquinoctium medium conſiderans illud in die 25. ſtatuerat. Unde qui Chriſtum eo anno paſſum putabant, & menſe Martio, potiùs extra plenilunium à Judæis celebratum Paſcha cogitarunt, quàm ante æquinoctium, cum neutrum cogitare debuiſſent. Neque in ſubſequente Lunari menſe, qui verè erat Judaicus Niſan, cogitare poſſumus Chriſti paſſionem, quia quintadecima Luna nullo Judæorum judicio copulari in eo potuit cum feria ſexta. Rurſus narrat D. Hieronymus mortuum D Joannem Evangeliſtam anno 68. poſt Chriſti paſſionem ſub Trajano; ſi Chriſti paſſio fuiſſet præfato anno, nequaquam ſub Trajano, ſed ſub Nerva, qui vivebat anno vulgaris Eræ 97., neque mortuus, niſi ſubſequente anno 98. die 27. Januarii, ut notat Pagius.

VIII. Secundò excludimus Jul. 76., ſeu vulgaris Epochæ 31. repugnante Chriſti ætate ſupra annos 34.; quâ ratione à fortiori excluduntur anni hoc poſteriores. Deinde anno hoc non copulatur quintadecima Luna cum feria ſexta, niſi facta fuerit enormis anticipatio ætatis *Lunæ*, quam tamen admittunt nonnulli recentiores putantes Judæos deceptos à Cyclo, quo utebantur; at Cycli eo tempore apud illos nullus uſus, & nonniſi tempore aliquo poſt cladem Jeroſolomytanam, &, ut ait Maimonides in Tract. de Conſecrat Novilun. cap. 5. ſect. 3. *poſt finem Doctorum Gemaræ cùm deſolata eſt terra Iſrael, neque ibi ſuperfuit Judicii domus ſtata, & fixa.* Supereſt ergo Verum

rum Annum, quo Chriſtus eſt paſſus, fuiſſe Jul. 75. ſeu vulgaris Epochæ trigeſimum, quo erant Conſs. L. Caſſius Longinus, & M. Vinicius. Sub his Conſs. paſſum Dominum, etiam Epiphanius refert hæres 51. Alog pag mihi 136. at fallitur dum dicit 13. Kal. Aprilis, h. e. d. 20. Martii.

IX. Hoc anno dato, verificatur quod ſcripſit Beda de ratione temporum cap. 45. ubi ſic ait: *Habet, ni fallor, Eccleſiæ fides, Dominum in carne paulò plus, quàm triginta tres annos, uſque ad ſuæ tempora Paſſionis vixiſſe, qui videlicet triginta annorum fuerit baptizatus, ſicut Evangeliſta Lucas teſtatur, & tres ſemis annos poſt baptiſmum prædicaverit.* Danieli Angelus revelavit in medio hebdomadis ſeptuageſimæ, h. e. ab initio manifeſtationis Chriſti computatis tribus annis cum dimidio, defecturum Veteris Legis Sacriftcium, & Hoſtiam quoad valorem, per Chriſti mortem, cruentumque ejus Sacrificium, cujus figuræ erant antiqua illa Sacrificia. Itaque anno vulgaris Eræ 26., quo terminarunt hebdomadæ ſexaginta novem, ut videbimus; autumnali tempore cœpit manifeſtari Chriſtus per baptiſmum Joannis. Explevit trigeſimum ætatis annum exeunte anno eodem. Sequentis anni Paſcha, & primum temporis ejus prædicationis, de quo Joan. cap. 2. verſ. 13. *Et propè erat Paſcha Judæorum, & aſcendit Jeſus Jeroſolymam.* Secundum Paſcha anni Jul. 73. & vulgaris Eræ 28. de quo idem Evangeliſta cap. 5. verſ. 1. *Poſt hæc erat Dies feſtus Judæorum, & aſcendit Jeſus Jeroſolymam.* Tertium Paſcha anni Jul. 74. Eræ vulgaris 29. de quo cap. 6. verſ. 4. *Erat autem proxi-*

mum Paſcha dies feſtus Judæorum, addendo hic *dies feſtus Judeorum*, ſignificat, Paſcha eſſe illud, quod nuncupatur feſtus Judæorum, unde cùm abſolutè ſemel dixerat *feſtus Judæorum*, explicat, ſe intellexiſſe Paſcha. Ineunte poſtea anno Jul. 75. & vulgaris Eræ 30. explevit ſuæ ætatis annos triginta tres, cujus Paſchate quarto ejus prædicationis, crucifixus.

X. Contigit hoc anno, ut ſupputavit Ricciolus Novilunium Paſchale verum Jeroſolymis d 22. Martii hor. 9 m. 45. p. mer. fer. 4. h. e. more Hebraico intrà diem 23. & feriam quintam; ideòque ipſe Ricciolus primam Lunationis civilis diem ponit hanc ipſam diem 23., ex Phaſi verò primam diem ſubſequentem 24. feriam ſextam. Sed cum vera conjunctio Solis, & Lunæ non præcedat tempus occaſus Solis diei 23. integrâ naturali die hor. 24. ſed hor. 20. & uno circiter horæ quadrante; & inſuper ex Aſtronomico calculo conſtet tunc Lunam fuiſſe propè Abſidem ſui Orbis, & per conſequens motu tardiſſimam, non poterat eo temporis intervallo à Sole removeri niſi ad ſummum gr. 10. quare eo veſpere poſt Solis occaſum viſibilis non erat, ſaltem commodè, & populariter, ut civile haberetur menſis caput *ſecundùm* Lunæ phaſim. Igitur juxta Moſis inſtitutum, Menſis Paſchalis initium hujus anni fuerat celebrandum veſpere diei 24. Martii feriæ ſextæ, h. e. Neomenia illa civilis incidebat more Hebraico in diem 25 Martii feriam ſeptimam. Vide, quæ diximus in Prima Parte Cap. 4. in fine. Sed Judæi judicarunt initium menſis Niſan à Phaſe fuiſſe
veſpere

veſpere diei 23. cum Neomeniam ſtatuerint in die 24. feriâ ſextâ, juxta morem ſuum, de quo dixi num. 5., hinc eſt quartamdecimam fuiſſe ſextam Aprilis feriam quintam, cujus veſpere Agni ſacrificium, ejuſque eſus, & Chriſti ultima Cœna; & quintamdecimam ſolemnitatem Paſchalem, quâ Chriſtus Crucem, & mortem ſubivit, feriam, nempe ſextam, diemque Aprilis ſeptimam. Erarunt ergo Judæi à Moſis inſtituto unâ die; Legis tamen obſervantia pendebat ab eorum Judicio, ſive recto, ſive minùs recto; cunctique tenebantur præſcripto ab eis tempore Paſcha celebrare; Hic locum habet Judaicus Canon: *Cùm domus Judicii Neomeniam conſecravit ſive erret, aut in errorem inducat, illa tamen eſt conſecrata: nec quiſquam eſt, qui non teneatur feſta obſervare ſecundùm illam diem, licèt errorem noverit.*

XI. Hinc eſto Chriſtus mortuus die 15. Niſan juxta factum Judæorum; tamen verè juxta Moſis inſtitutum, Chriſtus mortuus die quartadecima, quemadmodum olim eâdem die immolatus Agnus, qui Chriſti fuit figura, & ſymbolum; imò etiam eâdem horâ nempè horâ nonâ, ſive tertiâ veſpertinâ, quâ ex Joſepho lib. 7. de Bello cap. 17. Agnus occidebatur. Hinc veteres Chriſtiani Apoſtolicis temporibus Paſcha celebrabant die quartadecimâ juxta illud Apoſtoli *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*; & quartadecimani illi dicebantur, qui Lunâ 14 quâvis feriâ ea evenerit, id agebant. Poſtea nè viderentur Chriſtiani cum Judæis Paſcha celebrare, non ampliùs Paſſionis diem pro Paſchate habuerunt, ſed potiùs Reſurrectionis *1. Cor. cap. 5.*

diem,

diem, ſolemniter celebrare cœperunt, eamque ſtabiliter feriam primam, imò Latini nolebant ante Lunam decimamſextam, quia verè reſurrexit Chriſtus Lunâ decimaſextâ juxta Moſis inſtitutum, donec Dionyſius Exiguus acceptaret Alexandrinos ritus, quibus non excludebatur decimaquinta. Anticipavit ergo Chriſtus unâ die eſum Agni, non quidem popularem Judæorum tunc temporis, id enim non licebat, ſed ſecundùm antiquam inſtitutionem, ut benè loquitur D. Joannes Chryſoſt. homil. 82. in Joannem, ait ſiquidem: *Chriſtus enim pridie ſecerat Paſcha, ut reſervaret cædem ſuam in Paraſceve, quando Paſcha SECUNDUM ANTIQUAM INSTITUTIONEM celebrandum erat*. At Divinâ diſpoſitione factum, ut tempus debitum Judæi tunc præveniſſent, quò ipſe quoque Dominus præveniret in obſervatione Judaici Paſchatis, & non præveniret in eo, quod per illud figurabatur.

XII. Aprilis menſe Dominum paſſum putavit etiam D. Hieronymus in cap. 42. Ezechielis, ait enim: *Dominus triginta annorum venit ad Baptiſmum* &c., *& trigeſimus numerus additis tribus, & parte tertiâ completur*. Si putaſſet natum Martio, non dixiſſet *parte tertiâ*, ſed *parte quartâ*, cum autem dixerit *parte tertiâ*, anni nempè, putavit paſſum quarto menſe ab ejus Nativitate. Signanter equidem hìc notandi ſunt Chronologici characteres hujus anni, quo Mundus fuit redemptus, illis reſpondentes, quibus fuit conditus; admirandaque relatio inter tria tempora Conceptionis, Nativitatis, & Mortis ipſius Chriſti. Solis, & Lunæ

Con-

Conjunctio ex correctioribus Tabulis, quæ fuit exordium Paſchalis menſis, contigit in gr. 29 m 52. ſec. 28. Duodecimi Signi, & ferè in ipſo verno æquinoctio. In Mundi geneſi, ut advertimus Par. Pr. Cap. pr., in ipſo autumnali æquinoctio ferè prolepticè fuit primordiale illud Novilunium; ita enim primus annus Mundi reparati reſpondere videtur primo anno Mundi conditi, habito reſpectu ad puncta æquinoctialia oppoſita, quorum Autumnale fuit principium temporis unius, & Vernum alterius; & in utroque eventu primi menſes lunares, primis ſolaribus, h. e. Signis Libræ, & Arietis ſeſe adjunxerunt. Celebris quoque fuit Incarnationis primus annus Jul. 41. quoad hujuſmodi Cœleſtes Temporis characteres, quoniam non Novilunium, ſed Plenilunium, quod inſuper fuit etiam Eclipticum, & ferè in ipſo verno æquinoctio; dies enim 23. Martii fuit dies æquinoctii, & Plenilunii. Incarnatio verò, ſeu Conceptio Chriſti eo die anni ſolaris contigit, quo Mors, h. e. uterque eventus cum Sol eſſet in medietate Signi Arietis, at Luna in uno eventu Soli conjuncta, nempè Conceptionis; in altero oppoſita, nempè in morte. Die autem illâ, quâ naturaliter Chriſtus naſci debuit, nempè Januarii ſeptima anni Jul. 42. Sol in aſpectu quadrato ſui loci, quo fuit Conceptionis tempore, & futurus Mortis tempore, & Luna in Arietis medietate conjuncta loco Solis Conceptionis, & Mortis.

XIII. Cum ergo dies, quâ Chriſtus paſſus, fuerit ſeptima Aprilis anni Juliani feria ſexta, dies Reſurrectionis fuit nona feria prima. Aſcenſionis

verò

verò dies 18. Maji feria quinta. Dies Pentecoſtes, quo Spiritus Sanctus in Apoſtolos effuſus, dies 27. Maji feria ſeptima, ſiquidem eâ die completi fuere
Lev. cap. 13. verſ. 15. dies Pentecoſtes à die 16. Niſan, quâ oblatio facta manipuli ſpicarum in Templo, h.e. feriâ ſeptimâ
Deu. cap. 16. verſ. 9. ſubſequutâ diem feſtum Paſchæ, qui fuit feria ſexta. At ſi hos dies in Kalendario Gregoriano deſignare velimus, quo æquinoctium vernum ad diem 21. Martii retroactum, cum in Kalendario Juliano Chriſti tempore eſſet die 23., conſequenter à die 7 Aprilis detrahemus 2., & fiet quinta Aprilis, quæ erit dies perfectè anniverſaria Paſſionis Chriſti; Reſurrectionis verò erit ſeptima Aprilis, quæ eſt ferè media inter extremos limites Paſchales, nempè 22. Martii, & 25. Aprilis, illudque accidit 1697 anno. Aſcenſio porrò erit ſextadecima Maji; Pentecoſtes vigeſima quinta; quare vigeſima ſexta incipiens more Judaico veſpere vigeſimæ quintæ dici poteſt Prima dies enaſcentis Eccleſiæ. Nativitatis verò 23. Decembris, ſive quinta Januarii.

CAPUT OCTAVUM.

Exponitur Angeli Oraculum apud Danielem de ſeptuaginta Hebdomadibus. Ubi confirmatur, quod ſtatutum fuit de Anno Paſſionis Chriſti.

I. ANno primo Darii Medi Babylone regnantis, atque appropinquante tempore illo, quo complebantur ſeptuaginta anni deſolationis Jeru-

Jeruſalem juxta ſermonem Domini ad Jeremiam, prolixâ, fervidâque oratione Daniel Deum deprecabatur, ut captivitati illi finem dare dignaretur, Judaicum Regnum, aut Rempublicam reſtitueret, Templum, Urbemque reædificari decerneret. Cum autem ejus preces Deus exaudierit, ad eum miſit Angelum Gabrielem, ut illum inſtrueret de futuris, & talibus futuris, eoque ipſo eum moneret, quodammodò neſcire quid peteret. Reſpublica illa jam ad ſenectutem devenerat, tunc non erat tempus ea prædicendi, quæ in florente ejus ætate, vel antequam naſceretur olim prædicebantur, ſicut prædixerat filiis ſuis Jacobus, & Judæ poſteris Regnum dandum in longinquum tempus. Sed potiùs proximum illius Regni funus prænuntiandum, etiamſi tunc diruta forent reſtauranda, ad tempus tamen non longinquum. Edocuit verò illum Angelus, potiùs expetendum illius Reipub. finem, utpotè cum quo conjungenda foret Mundi Redemptio per Chriſtum, & adimplenda Prophetarum oracula, necnon deſiderabilem veterum ſacrificiorum ceſſationem conſecuturam ad cruentum Chriſti Sacrificium.

II. Dixit ergo Angelus Danieli cap. 9. ver. 23. *Ab exordio precum tuarum* &c. Poſtea ver. 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ, ſunt ſuper populum tuum, & ſuper Urbem ſanctam tuam, ut conſumatur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur Sanctus ſanctorum.*

III.

III. Deſignatur tempus ſenectutis Judaicæ Reipub. quatenus ſanctæ, & à Deo approbatæ uſque ad ejus interitum, qui à Chriſti paſſione, & morte emanavit. Dixi, quatenus ſanctæ &c., quia aliquot annos poſtea adhuc duratura, etſi cum ingenti confuſione; at non ſancta, ſed profana, & à Deo reprobata, idcircò quamprimùm totaliter ruitura. *Ut conſumetur prævaricatio* &c. Pluribus verbis hìc effunditur Angelicus ſermo, dum exprimere vult bona, quæ ad temporalis illius Reipub interitum conſequentur, propterea monetur Daniel, ne ei ſit ſollicitudo de reſtitutione illius, quæ tamdiu perſeverabit, quamdiu peccati ſervitus. Ejus durationem olim prædixerat Jacobus Gen. cap. 49. non quidem ſempiternam, ſed donec veniret Silo, h. e. Chriſtus: Cujus vaticinii veram, claramque præbet intelligentiam hìc Angelicus iſte ſermo. Tempus iſtud deſcribitur per annorum hebdomadas, numerus enim ſeptenarius celebris eſt in Sacrâ Scripturâ, & per ſeptenarium numerum decadum annorum. Additur verbum *abbreviatæ*, ita enim vertit vulgatus interpres verbum נחתך Nehettach, h. e. conciſæ, & deficientes, quia à numero ſeptuagenario dimidium unius hebdomadæ ſubtrahitur, ut fiant hebdomadæ ſexaginta novem addito ſeptuageſimæ dimidio, hoc eſt fiant anni 486. $\frac{1}{2}$

IV. Ver 25. *Scito ergo, & animadverte: ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, uſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt: & rurſum ædificabitur platea,*

tea, & muri in anguſtia temporum. Hìc, unde ſumendum ſit initium ſeptuaginta hebdomadarum annorum aſſerit; videlicet à ſolemni Edicto Artaxerſis Longimani in manu Eſdræ, quod habetur ejus lib. 1. cap. 7, editum anno ſeptimo ejuſdem Regis; non autem à Cyri, neque à Darii Hyſtapidis Edictis, quia illa prorſus inefficacia ad Urbis Jeroſolymæ ædificationem. Neque etiam à tempore, quo ab Artaxerſe impetravit Nehemias litteras anno videlicet vigeſimo Regni illius, ut narratur cap. 2. lib. Nehemiæ, qui & Eſdræ ſecundus, namque cum illæ litteræ ab eodem proficiſcerentur Rege, à quo Edictum, ad iſtud ſpectant tanquam illius obſervantiam præcipientes, atque ab eo dimanant tanquam accidens à ſubſtantia; unde illius Decreti vi, Urbis, mœniorumque peracta refectio. Nota hunc Regem inter cæteros omnes Perſarum Reges fuiſſe erga Judæos beneficentiſſimum, idque propter Eſtherem Reginam, quæ Judæa erat.

V. Hebdomades ſeptem, & ſexaginta duæ, h. e. ſexaginta novem, ideſt anni 483. uſque ad Chriſtum ducem; dimidia, quæ ſupereſt hebdomada, h. e. tres anni cum dimidio, ſunt inter Chriſti manifeſtationem, & ejus paſſionem, mortemque. Videamus ergo ſi ab anno ſeptimo Artaxerſis ad annum vigeſimum ſextum Eræ Chriſti vulgaris, quo diximus Chriſtum manifeſtatum, reperiantur anni 483. Ex Tabula Canonis Ptolemaici, quam poſuimus in Cap. 7. Lib. Primi, cœpit regnare Darius Hyſtapides anno Periodi Jul. 4192., cui ſi addantur anni 36. Regni ejuſdem,

& 21.

& 21. Xerſis ejus filii, fiet annus Per. Jul. 4249., quo cœpit regnare Artaxerſes, ut ibi in eodem Canone exaratum eſt, quare ſeptimus annus erit Per. Jul. annus 4256. Hinc autem ad finem Monarchiæ Perſarum per Alexandrum Magnum anni 128. Hinc ad annum ultimum ante Eram Chriſtianam, qui fuit Per. Jul. 4713., anni 329. Hinc ad annum 25. incluſivè præfatæ Eræ 25. Summa horum trium numerorum 129. 329 25. eſt annorum completorum 483.; quare inter annum ſeptimum Artaxerſis Longimani, & annum manifeſtati Chriſti 26. Eræ vulgaris intercipiuntur anni 483., hoc eſt inter annum Per. Jul. 4256, & 4739.

VI. Efficacitatem Edicti de reædificanda Jeroſolima exprimit, cùm ſubſecutum narrat effectum, ait enim: *& rurſum ædificabitur platea, & murus*, eſto in difficilibus temporibus, & verè, ut dicitur Italicè, *con l' arme alla mano;* unde addit in anguſtia temporum. Neque obſtat in Decreto non exprimi Urbis ædificationem, id etenim ſubintelligitur, ſiquidem neque populus, neque Templum ſine domiciliis, & ſine murorum tutela ſervari non poterant; quare etiam in præcedentium Regum Edictis illud implicitè continebatur; unde Eſajæ cap. 44. ver. 28. de Cyro Deus loquitur, cùm ait: *Qui dico Cyro, Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis; qui dico Jeruſalem ædificaberis, & Templo fundaberis*. Id autem ex facto ipſo dignoſcitur; nam Judæi ab initio ex vi conceſſionis à Cyro editæ non ſolùm manus admovêre ad Templi ædificationem, ſed etiam ad reliqua ædificia, & muros, ut patet ex accuſatione, quæ con-

contra Judæos ſub Cyro ædificantes data deinde fuit Aſuero, ſeu Artaxerſi (qui in hiſtoriis *profanis* vocatur Cambyſes Cyri ſucceſſor) Eſdræ lib. 1. cap. 4. ver 12. Verùm cùm ſub aliis Regibus ante Artaxerſem Longimanum opus reſtaurationis Urbis adimpletum non fuit, ideò prætermiſſis eorum Edictis, Angelus mentionem fecit de ſolo Edicto Artaxerſis, ex vi cujus platea, & murus fuere completa, à quo annos numerat Urbis ſanctæ reædificatæ.

VII. Non deſunt qui à vigeſimo Artaxerſis anno hebdomades numerent, at hi coguntur anticipare initium Regni Artaxerſis, adeò, ut tredecim annos cum ejus patre Xerſe regnaverit. Sed hoc hiſtoriæ repugnat; nam poſt mortem patris, qui ab Artabano occiſus fuerat; ut Rex fieret Darium natu majorem fratrem necavit, & Artabanum, qui ideò Xerſem occiderat, ut ſibi Regnum uſurparet; tantùm abeſt, quòd Artaxerſes ipſe fuerit Rex vivo patre.

VIII. Ver. 26. *Et poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt*. Manifeſtato Chriſto poſt præfatum tempus, quid de ipſo faciendum erit prænuntiat ex voluntate populi Judaici, qui eum negaturus eſt. At iſtud non ſtatim poſt præfatum tempus, ſed addita illa ſemihebdomada, quæ ſuperadditur ſexaginta novem hebdomadibus ad ſeptuageſimam ſpectans, de qua in principio revelationis, quia interitus Urbis ſanctæ per occiſionem iſtam Meſſiæ non evenit niſi elapſis ſeptuaginta hebdomadibus abbreviatis, h. e. demptâ dimidiâ hebdo-

Digitized by Google

madâ, ut ſequenti verſu explicatur. Subjungitur poſtea quid ſequetur ex interitu Urbis ſanctæ, quidve patietur Urbs, quæ ex ſancta evadet profana, dicitur enim: *& Civitatem, & Sanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo* &c. Ecce bellum à Romanis illatum, & Jeroſolymitana clades.

IX. Verſ. 27. *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium.* Operationem Chriſti ab ejus manifeſtatione uſque ad ejus occiſionem in ſemiſſe illa hebdomadæ ſeptuageſimæ, & poſtea in alia ſemiſſe per Apoſtolos deſcribit Angelus propheta. Hæc autem operatio eſt Prædicatio Novæ Legis, & fundatio Eccleſiæ, cujus ædificium firmum, & ſtabile; ideò utitur verbo illo *Hegbebbir*, quod Pagninus vertit *Roborabit*. Dimidium ultimæ illius hebdomadæ ſignatur per interitum formalis Templi, iſtud enim ſanctitatem amiſit, cum ceſſavit ſacrificiorum valor per Chriſti ſacrificium in Cruce; ideò velum Templi ſciſſum à ſummo uſque deorſum. Remanſit aliquandiu materiale Templum, quod profanum quoddam nullius uſus evaſit, ideò combuſtioni ſervatum. Hinc ſubjungitur: *Erit in Templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſumationem, & finem perſeverabit deſolatio.*

X Ultimæ hujus hebdomadæ ſeptem anni, ſeu potiùs perſonæ, quæ ex Judaiſmo ſingulis hiſce annis ſeptem, Eccleſiæ fuerunt aggregatæ tunc enaſcenti, exprimuntur, Prov. cap. 9 ver. 1 per ſeptem columnas, ſuper quibus ſuam Chriſtus domum ædificavit, h. e. Eccleſiam.

CA-

CAPUT NONUM.

De Solis Eclipſi Phlegontea; & confirmatur ex ea Annus Paſſionis Chriſti.

I. PHlegon Græcus author Hadriani Imp. Libertus, Olympiadum egregius ſupputator, ut ait Euſebius in Chronico, quem ibidem hìc citat; ita ſcripſit lib. 14., referente eodem Euſebio: *Quarto anno Olympiadis* 202., *magna, & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant defectio Solis facta eſt; dies horâ ſextâ ita in tenebroſam noctem verſus, ut Stellæ in Cœlo viſæ ſint, terræque motus in Bithynia, Nicenæ Urbis multas ædes ſubverterit.* Joannes Philoponus Alex. ferè ad verbum ex Euſebio idem refert. Hanc Plegonteam eclipſim eamdem eſſe cum eâ, de qua tres Evangeliſtæ referunt tempore Paſſionis Chriſti, Authores communiter affirmant cum Euſebio; & ante hunc Julius Africanus, qui modò dixit eam Eclipſim contigiſſe anno ſecundo præfatæ Olympiadis, modò anno quarto; ſicut etiam Euſebius, qui etiam ait eveniſſe anno tertio. Quoad Africanum, huic videtur major fides præſtanda, qui uno tantùm ſæculo inferior fuit Phlegonte, quem proinde in fonte vidiſſe vero conſentaneum eſt. Deinde verè ipſe ſuppoſuit annum fuiſſe ſecundum Olympiadis 202., nam cum putaverit Chriſtum mortuum Conſs. duobus Geminis, anno nempè vulgaris Eræ 29. (errore ſatis communi antiquorum) ut pertraheret annum ſecundum illius Olympiadis ad

tempus, quo ex propria opinione Chriſtus paſſus, initium Olympiadum altiùs biennio poſuit vero initio, ut notat Pagius in Diſſert Per. Græco–Rom. num. 86. Africanum ſequitur Syncellus. Verùm annus ſecundus Olympiadis 202. cœpit à ſolſtitio æſtivo anni Chriſti 30. vel à Januario ejuſdem anni, ſi Phlegon Romano more annos auſpicatur à principio anni Romani, quod eſt probabilius, cum ſcripſerit florente Rom. Imperio, & tempore, quo Romanum Kalendarium uſuale erat in Italia, & in Græcia; ipſeque Romæ morabatur Libertus Hadriani. Hinc ſequitur, tempore quo Chriſtus paſſus à nobis notato, fuiſſe *in* curſu annum ſecundum Olympiadis 202. juxta Phlegontem, utpotè à Januario incipientem anni 30. Eræ vulgaris. Euſebius verò annos Olympiadicos ſumit, ut advertit etiam Pagius num. 83. ab Autumno præcedente, nempè à Kal. Septembris cum anno populari: Quare annus quartus præfatæ Olympiadis, qui vere inciperet anno Eræ Chriſtianæ 32. circa ſolſtitium æſtivum, vel à Kal. Januarii, juxta Euſebium incipit à Kal. Septembris anni 31. quare putavit Chriſtum paſſum anno 32. qui eſt 18. Tiberii à morte *Auguſti*, & 34. ejus ætatis, putavit enim natum biennio *ante* Natale Dionyſianum; ſed quatenus etiam ponit annum tertium Olympiadicum, non abhorruit ab anno 31., juxta ipſum 33. ejus ætatis.

II. Anno Chriſti 29 Novembris die 24. fuit Solis eclipſis à Petavio minimè notata; Romæ fuit digit. circiter ſeptem ſecundâ horâ ante meridiem; in partibus Orientalibus ejuſdem paralleli,

in quo

in quo Româ, etiam major; in locis, in quibus fuit centralis potiùs annularis fuit, quàm totalis ex calculo. Aliquis forſan exiſtimabit hanc eclipſim eam eſſe, de qua loquitur Phlegon. Verùm de illa non verificatur exceſſus ille, quem refert ille author, neque univerſalitas, quam etiam ex ethnicorum commentariis haurit Euſebius. Rurſus annus ille Olympiadicus, qui illius eclipſis tempore erat in curſu, primus erat Olympiadis 202. ſive à ſolſtitio æſtivo auſpicatus, ſive à Kal. Januarii; at nullus author ſcripſit Phlegontem narraſſe eclipſim illam inſignem, de qua eſt ſermo, contigiſſe anno primo illius Olympiadis. Ergo, cum dixerit, anno ſecundo, juxta Africani relata, Phlegontis eclipſis non eſt illa naturalis, quæ accidit præfato tempore Novembris anni Chriſti 29. ſed alia, quæ ſubſequente anno; atqui hoc anno nulla fuit eclipſis naturalis Solis, ſaltem conſideratione digna, ergo ſupernaturalis illa, quæ ab Evangeliſtis notatur in Chriſti morte.

CAPUT DECIMUM.

De Succeſſione Principum tum Romanorum, tum Judæorum à tempore Chriſti, ad uſque martyrium Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Jeroſolymorum excidium.

I. POſt Quirinum fuit Syriæ Præſes Pomponius Flaccus, qui ex Tacito lib. 6. Annalium ad annum Urbis 786. obiit eo anno, h. e vulgaris Eræ 33., & poſt Chriſti mortem, & Reſur-

rectionem exacto triennio, cui Tiberius ſucceſſorem dedit L. Vitellium anno 788. Urbis, h. e. anno 35. Fuit is avus A. Vitellii, qui fuit Imperator. Vir erat Conſularis, ut ait Joſephus cap. 5. lib. 18. Antiq., quia fuerat Conſul anno antecedente 34. cum Paulo Fabio. Venit poſtea Jeroſolymam Vitellius, ut narratur cap. 6. anno 36. in Paſchate, ut ſupra Cap. 6. num. 8. notavimus, cùm in locum Caiphæ Pontificis ſubrogavit Jonatham Anani filium. Explevitque deinde Vitellius, quæ in citato cap. à Joſepho narrantur circa Regem Parthorum, Artabanum videlicet. Mors porrò Philippi Tetrarchæ contigerat biennio ante, nempè anno 34. vigeſimo Tiberii.

II. Anno ſequente 37. juſſu Tiberii Vitellius Arabicum bellum capeſcit propter inſtantias illi factas ab Herode Antipa, ut habetur cap. 7., denuò Jeruſalem divertit ſacrificaturus in Paſchate, ubi hæſit triduo, & interim à Jonatha (quem anno ſuperiore Pontificem fecerat) in fratrem ejus Theophilum Pontificatum tranſtulit. Subjungit Joſephus: *quartâ die litteris acceptis de obitu Tiberii populum ſacramento adegit in fidem Caji novi Principis* &c., obiit Tiberius die 16. Martii ex Suetonio capit. 16. in Tiberio, & Tacito lib. 6., verùm ex Dione 26. Martii. Eo anno Judæi feſtum Paſchatis celebrarunt die 21. Aprilis, ſi à Phaſe menſem auſpicati ex Moſis inſtituto; at ſi à Synodo, die 19., erat enim Cyclus Lunæ 19.; vel ſi à tempore medio, die 20. Infra dies igitur Paſchatis circa finem Aprilis, in Judæam ad Vitellium pervenerunt litteræ Tiberii mortem an-

nun-

nuntiantes, quæ menſe Martio contigerat.

III. Romæ morabatur Herodes Agrippa tempore mortis Tiberii, à quo in vinculis detinebatur, ut narrat Joſephus. Mortuo Tiberio, à Cajo Caligula ſucceſſore non tantùm liberatus, ſed Philippi Tetrarchiâ donatus cum titulo Regio, & pro ferreâ catenâ, quâ detinebatur, aureâ. Ob invidiam Herodias Antipæ uxor hunc incitavit taliter, ut Romam contenderit cum ipſa, quò in dignitate augeretur, neque ex fratre nepoti, Agrippæ videlicet, ullo pacto cederet, imò ut ſuperior eſſet. At Agrippa quoque poſt ipſum ſtatim Romam devenit, cujus arte Cajus patruum illius privavit, & in exilium depulit apud Lugdunum in Galliam, quod accidit anno 39. menſe Auguſti labente tertio Caji anno, ut ſupra tetigimus Cap. 1. hujus Partis; atque etiam ipſe Agrippa auctus Antipæ Tetrarchiâ, ſcilicet Galileâ. A' Cajo etiam miſſus in Syriam P. Petronius in locum Vitellii. De Vitellio ſcribit Tacitus lib 6. ad annum Urbis 788 cùm in Syriam à Tiberio fuit miſſus: *Cunctis, quæ ad Orientem parabantur, L. Vitellium præfecit. Eo de homine haud ſum ignarus ſiniſtram in Urbe famam, pleraque fœda memorari, cæterùm regendis provinciis priſcâ virtute egit. Unde regreſſus, & formidine Caii Cæſaris, familiaritate Claudii, turpe in ſervitium mutatus, exemplar apud poſteros adulatorii dedecoris habetur, ceſſeruntque prima poſtremis, & bona juventæ ſenectus flagitioſa obliteravit.* Petronio commiſit Cajus opus erigendi in Templo Hieroſolymitano ſuimet ſimulacrum, de qua re lege Joſephum.

IV. Cajus Caligula porrò quarto ſui Imperii anno à conjuratis interfectus, verè tyrannus, initio ſui Principatus Tiberium occidi mandavit, qui Gemellus cognominabatur, quia cum fratre gemello natus jam mortuo; erant enim hi gemelli nati ex Druſo Tiberii Imp. filio, & Livilla ſorore Germanici: Tiberio huic juveni potiùs debebatur Imperium, erat enim Tiberii Imp. ex filio nepos; at Caligula erat filius Germanici, qui non frater, ut perperam Joſephus ſcribit, Tiberii, ſed ex fratre Druſo nepos. Interfectus Cajus die 24. Januarii ex Suetonio anno vulgaris Eræ 41. cui non ſine contradictione Senatus priſtinam Libertatem efflagitantis, ſucceſſit favore militum Claudius mortui Caji patruus, erat ſiquidem Germanici frater. Huic cariſſimus fuit Herodes Agrippa, qui ad proſperum eventum illius dignitatis multùm contulit, cum eſſet tunc Romæ; ideò à Claudio, ejus ditionibus addita Judæa, & Samaria, itaut Avitum Regnum integrum obtinuerit; ſed moribus multò, quàm Avus, probior.

V. A'Claudio ſtatim in ſuum miſſus Regnum. Ibi cum eſſet in gratiam captandæ benevolentiæ (cui ex Joſepho maximè ſtudebat contrà morem Avi) occidi curavit Jacobum fratrem Joannis, ut habetur Act. cap. 12. & Petrum in carcerem miſit, quo ab Angelo in libertatem reſtituto, ipſe Cæſaream petiit, ut habetur ejuſdem Cap. verſ. 19. ubi vitam cum morte commutavit, ut in eodem Cap. & pariter apud Joſephum cap. 7. lib. 20. Antiq. Obiit quarto Claudii Imp. anno, regnavit enim annos ſeptem ex Joſepho, cœpit regnare anno

vulga-

Digitized by Google

vulgaris Eræ 37. ſtatim à morte Tiberii, ergo mortuus anno 44. A'Januario autem ejuſdem anni cœperat annus quartus Claudii; quare expletis annis quatuordecim à Chriſti morte, intra quorum intervallum ea omnia acciderant, quæ in duodecim primis Capitibus Sacræ Apoſtolicorum Actuum Hiſtoriæ continentur.

VI. Mortuo Agrippæ ſuperſtes fuit filius unus Agrippas junior, annum agens decimum ſeptimum, cum ille mortuus ætatis annorum 54. filiæ tres, ex quibus Beronice nupta erat Herodi patruo nata annos ſexdecim, reliquæ duæ adhuc virgines, Mariamne, & Druſilla, hæc ſeptennis, illa decennis à patre deſponſatæ. Educabatur tunc Romæ adoleſcens Agrippa apud Claudium Cæſarem Imp., qui illum propter adoleſcentiam non miſit in Judæam, ut mortuo patri ſuccederet, etſi antea id agere cogitaverat, monitus enim, ne mitteret à libertis, & amicis: Eò miſit ad regendum totum Judeæ Regnum Cuſpium Fadum; *defuncto* (Agrippæ) *hoc honoris tribuens, ne Marſum inimicum* (ſcribit Joſephus in lib. 19.) *in Regnum ejus induceret*. Erat enim Marſus Syriæ Præſes miſſus à Claudio in locum Petronii. Sed & Marſo ſucceſſorem dedit Caſſium Longinum, eum, qui fuerat Conſul eo anno, quo mortuus eſt Chriſtus, & cui Tiberius uxorem dedit anno 33. Druſillam Germanici filiam, alteram Juliam M. Vinicio, qui fuerat Longini collega, ut notat Pagius ad annum 30. ex Tacito.

VII. Quod attinet ad Pontificum ſucceſſionem, cùm Agrippa major à Claudio miſſus fuit

in ejus

in ejus Regnum, ſubmovit Theophilum Anani filium, eique ſubrogavit Simonem, cognomine Cantharam Boethi filium ex Joſepho cap. 5. erat autem hic Simon ille, cujus filiam Herodes Rex ſenior uxorem duxit. Poſtea idem Rex Simonem Pontificatu privavit, quem voluit reſtituere Jonathæ Anani filio; at is hunc recuſavit, unde tribuit Matthiæ ejus fratri juxta recuſantis conſilium; & non multò poſt Marſus ſucceſſit Petronio in Syriæ præfecturâ. Demùm antequam Cæſaream pergeret adempto Pontificatu Matthiæ, ei ſucceſſorem dedit Elioreum Cithæi filium. Erat defuncto Agrippæ frater Herodes Chalcidis Dynaſta; hic petiit à Cæſare poteſtatem in Templum, & Sacrum Ærarium ex cap 1. l. 20. Antiq., juſque eligendi Summos Pontifices, impetravitque hæc omnia, ita ut etiam poſteris idem permanſerit jus, uſque ad belli Judaici exitum; refert Joſephus, hunc in ordinem redegiſſe Cantharam (oportet hunc denuò promotum, etſi id tacuerit Joſephus), eique ſubſtituiſſe Joſephum Caneum.

VIII. Fado ſucceſſit in Judeæ regimine Tiberius Alexander, qui filius fuerat Alexandri hominis ditiſſimi Alexandriæ, religione Judæi, cujus defertor fuit hic junior Alexander ex Joſepho c. 3. lib. 20. Hoc tempore Herodes Rex Chalcidis præfatum Joſephum Pontificatu privavit, deditque ſucceſſorem Ananiam Nebedæi filium. Tiberio Alexandro ſucceſſit Cumanus; cujus tempore, anno videlicet Claudii octavo, mortuus præfatus Herodes Rex Chalcidis, ſuperſtitibus tribus filiis, quorum Ariſtobulus ex priore uxore, ex altera Be-

ronice fratris filia Bernicianus, & Hyrcanus. Ejus Principatum Claudius largitus Agrippæ juniori. Deinde anno 12. ex Regno Chalcidis tranſtulit in majus, ei etenim dedit ditionem, quæ fuit Philippi, eamque Lyſaniæ.

IX. Anno Chriſti 54. moritur Claudius Imp. die 13. Octobris. Conveniunt Joſephus, & Dio, atque uxoris Agrippinæ maleficio quidam arbitrati ſunt. Fuit Agrippina quarta Claudii uxor, quæ ante Claudium alios duos habuit viros, nempè Cn. Domitium, & Paſſienum; filia fuit C. Cæſaris Germanici, & ſoror Caligulæ Imp., & filia Agrippinæ, quæ ex Vipſanio Agrippa orta, & Julia Auguſti filia. Agrippina hæc ex Domitio tulit filium Domitium, quem adoptavit Claudius, & ita Nero appellatus ei in Imperio ſucceſſit. Filius Claudii fuit Claudius Britannicus ex priore uxore Meſſalina, quem Nero ſuſtulit; Octavia verò natu major Neroni in matrimonium collocata, quam Nero poſtea etiam occidit, ſicut etiam matrem ipſam ſuam, cujus ope Imperium adeptus fuerat. Erat Nero natus Antii, ut ſcribit Suetonius die 25. Decembris novem menſibus poſt Tiberii obitum; quare cùm acclamatus Imperator, nondum expleverat ætatis annos 17. Periit verò 31. ætatis anno, die nonâ Junii, h. e. anno Chriſti 68. & Imperii 14. Sub hoc Imp. Paulus Apoſtolus Romam venit in vinculis, cum Cæſarem appellaverit; Hieronymus ſcribit ſecundo Neronis anno, & biennio ibi in vinculis manſit. Cum apud Romam pervenerit, invenit fratres, h. e. Chriſti fideles ſibi obvios; ergo ante Pauli adventum

tum

tum aliquis Romæ Chriſtianiſmum induxit. Ex Hieronymo uterque Apoſtolus, Petrus ſcilicet, & Paulus martyrium paſſus quartodecimo Neronis anno, h. e. Chriſti 68., verùm anno 64., vel potiùs 65., ut notat Pagius ad annum 67. num. 3., quare verificatur id eveniſſe anno poſt Chriſti paſſionem trigeſimo ſexto, ut tradunt authores, nam ſi Chriſtus paſſus Aprili anni 30., ut oſtendimus, expleti fuere anni 35. menſe Aprilis anni 65., & menſe Junio, quo martyrium paſſi Apoſtoli, erat in curſu annus trigeſimus ſextus.

X. Summum Sacerdotem Ananiam, de quo num. 8., occaſione ſeditionis inter Samaritas, & Judæos ortæ, de qua cap. 5. Joſephus, Quadratus Syriæ Præſes tempore Claudii miſit Romam vinctum cum Anano duce, ut reos defectionis, quò apud eumdem Imperatorem facti ſui rationem redderet, & Cumanum quoque, qui fuit Judeæ Procurator, & Celerem Tribunum, quos Imperator puniit. Miſit autem Procuratorem Claudium Felicem. Poſt hæc Imperii ſui anno 12. Agrippam donavit Tetrarchiâ Philippi, ut ſupra. In locum Ananiæ Pontificis promotus Jonathas, ad cujus preces miſſus Felix ab Imperatore in Judæam; at iſte ægrè ferens Pontificis hujus admonitiones, occidi eum curavit. Agrippa verò Rex Sacerdotium contulit Iſmaeli Phabei filio. Hic autem ex cap 7. fuit unus ex decem Legatis ad Neronem miſſis à Civitate Hieroſolymitana, ut ab eo impetrarent, ne murus ille demoliretur in Templo, de quo ibi narrat Joſephus; quo impetrato ope Poppeæ uxoris Imperatoris, remanſit ille Romæ tanquam obſes

ſes

ſes cum Chelcia cuſtode Sacri Ærarii; quare Agrippa illi infenſus depoſuit eum, deditque ſucceſſorem Joſephum Simonis quondam Pontificis filium.

XI. Mortuo Feſto, Albinum ſucceſſorem dedit Cæſar. Agrippa Rex Sacerdotium Summum abſtulit à Joſepho, deditque Anano Anani filio. Senior Ananus fœliciſſimus fuit tum propter Pontificatum quo uſque ad ſatietatem perfunctus; tum quia quinque filios habuit, cunctos Pontificatu potitos. Erat iſte junior Ananus Pontifex Sadducæus; in abſentia Præſidis (nondum enim venerat Albinus) concilium Judicum congregavit, fuitque in cauſa, ut lapidarentur plures inſontes, inter quos Jacobus frater Domini; quod cùm reſcivit Albinus iraſcens ſcripſit ſe pœnas daturum Pontifici, utpotè qui præſumpſerat, ſe abſente, concilium illud congregare. Pariterque Agrippa Pontificatu eum privavit, deditque alteri, nempè Jeſu Damnæi filio; quo deinde depoſito, alium Jeſum Gamalielis filium ſubrogavit. Hoc etiam in ordinem redacto, Pontificatum contulit Matthiæ Theophili filio, quo Pontifice Judaicum bellum initium habuit.

XII. Cœpit itaque bellum Judaicum, ut ait Joſephus lib. 2. de Bello, cap. 13 in fine, anno duodecimo Neronis, & decimo ſeptimo Agrippæ junioris menſe Artemiſio, qui eſt Jiar apud Judæos; hic annus eſt Chriſti ſexageſimus ſextus, proximè ſecutus annum, quo martyrium ſubjere Apoſtoli Petrus, & Paulus. Poſt biennium menſe Junii periit Nero, nempè anno 68. Veſpaſianus acclamatus Imp. menſe Julii anni 69., cujuſque anno

primo

primo labente cœpit obſeſſio Jeroſolymitana ſub Tito; tumultus in ea Urbe excitatos narrat idem Joſephus lib. 6. de bello cap. 4. *Azimorum inſtante die, quartadecimâ Xanthici menſis*. In verſione Ruffini habetur: *qui eſt Aprilis menſis quartus decimus dies*. At Xanticus apud Joſephum, & Judæos tunc, idem ac Niſan, qui eſt menſis Lunaris Paſchalis, dicit enim lib. 3. Antiq. cap. 10. *Menſe Xantico, qui Niſſan apud nos vocatur*, qui ferè partim Martio, partim Aprili reſpondet. At eo anno, nempe Chriſti 70., cum eſſet Aureus numerus 14. applicatus 31. Martii, quæ proinde erat civilis Neomenia à Synodo, ea quoque à Judæis accipi potuit pro capite menſis Paſchalis, vel ſubſequens prima Aprilis, unde quartadecima Xanthici, ſeu Niſan fuit dies vel 13. Aprilis, vel itidem 14. Eodem anno, ſed Veſpaſiani ſecundo labente fuit capta Jeroſolyma, Templumque exciſum Gorpiæi menſis die octavâ (narrat Joſephus lib 7. de bello cap. 18.) Dies prima Gorpiæi, qui & Elul apud Judæos juxta ordinem Lunationum à primo menſe Niſan incidere debebat in diem 26. Auguſti feriam primam, unde dies octava fuiſſet dies 2. Septembris. Verùm ex Dione fuit capta Jeroſolyma die Sabbati, ille enim ita refert: *die Saturni, quem diem præcipuè Judæi nunc adbuc colunt, Jeroſolyma exciſa fuere*. Quare non die octavâ, ſed potiùs ſeptimâ menſis Gorpiæi, ſeu Elul; & verè die illâ ſeptimâ Elul Jejunium obſervant quotannis Judæi, ignotâ causâ, quæ alia non poteſt eſſe, quàm præfata. Quare dicendum Hieroſolymam captam, & exciſam die primâ Septembris.

CA-

CAPUT UNDECIMUM.

De tempore Apoſtolici Concilii, deque Romani Pontificatus exordio, ubi confirmatur, quod ſtatuimus de anno, & tempore, quo Chriſtus paſſus.

I. QUoad tempus Apoſtolici Concilii, ſatis conſtat apud Authores, eveniſſe anno nono Claudii, ſive anno Eræ Chriſtianæ quadrageſimo nono. Eruitur etiam ex Paulo Apoſtolo in epiſt. ad Galatas; nam cum de vocatione ſua egiſſet capit. 1 ver. 17., ſubſequitur: *Neque veni Jeroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos*, h. e. ſtatim ac fuerat converſus, *ſed abii in Arabiam, & iterum reverſus ſum Damaſcum* Hic reditus non accidit poſt diuturnum tempus, ſed certò intrà eumdem annum, quare de hoc diſceſſu Pauli in Arabiam nullus eſt ſermo in Actibus. Subdit in præfatæ epiſt. ver. 18. *Deinde poſt tres annos* (h e. anno poſt Chriſti paſſionem quinto, namque conveniunt unanimiter Paulum converſum anno ſecundo) *veni Jeroſolymam videre Petrum;* id etenim contigit, cum à fratribus per murum demiſſus fuit in ſporta; propterea in Act. cap 9. ver. 26. ſubditur: *Cum autem veniſſet in Jeruſalem* &c. manſit in Jeruſalem diebus quindecim; deinde venit in partes Syriæ, & Ciliciæ, ut dicitur in epiſt. cap. 2., inquit: *Deinde poſt quatuordecim annos iterum aſcendi Jeroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito*. Tunc autem celebratum Concilium; ergo poſt Chriſti Paſſionem decimonono, h. e. Eræ vulgaris quadrageſimo nono.

II.

II. Itaque ſatis conſtat Petrum in Urbem Romam non adveniſſe anno ſecundo Claudii, ut Euſebius habet in Chronico; namque primùm Jeroſolymis erat anno quarto ejuſdem Imperatoris, cum è carcere liberatus in fine Regni Agrippæ majoris, qui mortuus anno præfato quarto Claudii; ſecundò erat etiam Jeroſolymis anno nono, ut diximus, tempore nempè Concilii. Addo etiam, neque eo tempore, quo Paulus Romam navigavit, cum ad Cæſarem appellaverit, h. e. Neronem, qui tunc regnabat; nam in Actibus nullum eſt verbum de Petro, cùm Paulus Romam pervenit. Puto à Paulo Romæ morante accerſitum Antiochiâ Petrum, utpotè in Urbe oſtium magnum apertum, ut ibi Evangelium prædicaretur, & copioſa fundaretur Dei Eccleſia, unde tanquam à capite in totum Orbem promanarent Fidei rivuli; hinc neceſſarium fuit, Petrum illuc adveniſſe, utpotè eum, cui ſpecialiter à Chriſto commiſſa gregis Dominici paſcendi cura. Verùm ante Pauli adventum, plures Chriſtianos Romam appuliſſe ex aliis partibus opus eſt, ut Metropolim Imperii, ex quibus erant illi fratres, qui obviam Paulo progreſſi, cùm is Romam appropinquavit, ut habetur in hiſtoria Actuum.

III. Non ergo annos vigintiquinque Petrus Romæ ſedit, ut vulgò creditum, ſed cùm martyrium paſſus anno Neronis undecimo, non potuit Romana ejus habitatio duraſſe ad ſummum plus octennio. At ſignanter notandum, quod ſcribitur ab Authore Chronici Damaſi, cujus verba de S. Petro recitat Pagius ad annum 67. num. 28.

Pe-

Petrus annis vigintiquinque, menſe uno, diebus novem. Fuit temporibus Tiberii Cæſaris, & Caji, & Tiberii Claudii, & Neronis, à Conſulatu Vinicii, & Longini (qui eam dignitatem anno Chriſti trigeſimo geſſere) *uſque Nervæ, & Veſtini*, h. e. Chriſti 65. *Paſſus autem cum Paulo die tertiâ Kalendas. Julias, Conſs. ſupradictis, imperante Nerone*. At pro viginti quinque annis ſcribendum fuerat triginta quinque. (Hinc prodit error de annis viginti quinque), qui ſumendi non ſunt de Sede Romana Petri, ſed de toto tempore, quo Primatum ſuum in Eccleſia exercuit à Chriſti videlicet Aſcenſione in Cœlum, ad ejus martyrium ſub Nerone; ſunt autem, ut liquet, triginta quinque anni ſolidi, & inſuper menſis unus, & dies novem; nam cum Chriſtus paſſus fuerit die ſeptimâ Aprilis, ut ſuo loco oſtendimus, reſurrexit die nonâ; ab hac die uſque ad decimam octavam Maji excluſive numerantur dies quadraginta, quibus expletis Chriſtus in Cœlum aſcendit; mox decimâ octavâ Junii completur unus menſis ab Aſcenſione, & vigeſima ſeptimâ complentur dies novem, quare vigeſima octava Junii fuiſſet juxta hujus Authoris narrationem dies martyrii Apoſtolorum, emortuali autem hoc die excluſo, dies natalitia eorumdem celebratur dies vigeſima nona. Hinc vides ex Chronico Damaſi perſpicuè confirmari noſtram Theſim de tempore Chriſti Paſſionis, & Aſcenſionis, à quo, quando fuere paſſi Apoſtoli Petrus, & Paulus, erat inchoatus annus trigeſimus ſextus per menſem unum, & dies novem. Obſervatione dignum à Converſione Pauli ad ejus mortem effluxiſſe annos

ſolides triginta tres, menſes quinque, dies tres, ſiquidem converſus anno Eræ Chriſti vulgaris trigeſimo ſecundo die 25 Januarii, unde ferè æqualis durationis Vita Pauli ad Chriſtum converſi, ac Vita ipſius Chriſti.

IV. Scribitur in Chronico Damaſi de Lino, qui fuit Romanus Epiſcopus, & Apoſtolis Petro, & Paulo ſupervixit: *Linus autem annis duodecim menſibus quatuor, diebus decem. Fuit temporibus Neronis à Conſulatu Saturnini, & Scipionis, uſque Capitone, & Rufo*, ſed legendum cum auctiori Chronico veterum Pontificum, ut monet Pagius ad annum 78 num 3: non annos XII., ſed annos XI., tot enim ſunt ab anno Chriſti 56. quo fuere Conſs. Saturninus, & Scipio, ad annum 67. præfatorum duorum Conſs poſteriorum: quare ſupervixit Apoſtolis, à quibus ordinatus, biennio; ſcripſit Euſebius lib. 5 hiſtor. cap. 6. *Beati Apoſtoli, ubi fundamenta Eccleſiæ præclarè poſuerunt, & eam providè, ſapienterque exædificaverant, Lino Pontificatus miniſterium tradiderunt.*

CAPUT DUODECIMUM.

Confirmatur etiam Annus Chriſti paſſi ex anno, quo paſſus Sanctus Polycarpus, cujus martyrii hiſtoria hâc occaſione elucidatur.

I. IN Chronico Alexandrino pag. 604. hæc leguntur quoad martyrium S Polycarpi Smirnæ Epiſcopi. *Olymp* 235. *Ind.* 1. *Marci, & Lucii* 4. *Æliano, & Paſtore Conſs. anno* 133. *Dominicæ in Cœlos*

Cælos aſſumptionis, maximis perſecutionibus Aſiam concutientibus, multi martyrio ſunt affecti: quos inter Polycarpus Smyrnæ Epiſcopus, & Joannis Apoſtoli diſcipulus, atque ab ipſo Epiſc. conſtitutus; ſub Proconſ. Statio Quadrato, captus ab Herode Irenarcha Nicetæ filio, multaque pro Fide paſſus, ſeptimo Kal. Aprilis, magno Sabbato, horâ octavâ &c. Annus ille ex Faſtis Conſularibus, & Indict. fuit vulgaris Epochæ 163. è quo numero ſi demas 133. reſultat annus ejuſdem Epochæ, quo Chriſtus Cœlos aſcendit, trigeſimus, qui idem ac ille, quo paſſus. Quod hac in re difficultatem facit eſt character ille magni Sabbati, quandoquidem eo anno dies 26. Martii non incidit in Sabbatum, erat enim Cyclus Solis 4. & litt. Dom. C. unde incidit in feriam ſextam: quamobrem Uſſerius eventum differt ad annum 169. quo dies 26. Martii in Sabbatum incidit. Verùm hæc translatio inventa ad vitandam difficultatem, quæ aliter fortè ſolvi poteſt, & ſalvâ fide præfatæ hiſtoriæ.

II. In epiſt. circulari Eccleſiæ Smyrnenſis ad Eccleſiam Philadelphiæ de martyrio S. Polycarpi hæc leguntur: *Martyrium autem paſſus S Polycarpus Xanthici menſis ineuntis die ſecundo ſeptimo Kal Majas magno Sabbato horâ octavâ* &c. Annus non affertur, unde non contradicitur Chronico Alex. Dies aſſertur ſecunda menſis Xanthici: ſi Xanthicus more Syro–Macedonum conſideratur incipiebat à die 25. Martii, unde ſecunda Xanthici eadem ac 26 Martii; ſi Xanthicus intelligatur more Macedonum, ſicut intelligebatur in Græcia, & Aſia minore, incipiebat à die 22. Februarii, unde

M 2 2. Xan-

2. Xanthici fuiſſet dies 23. ejuſdem menſis. Sed de facto Græci putantes Smirnæos intellixiſſe menſes aliorum Græcorum more, feſtum S. Polycarpi celebrarunt eâdem die 23. Februarii. Verùm magni Sabbati character, h.e. Paſchalis, in Februario menſe, locum habere non poteſt; quare menſis Xanthicus non alio pacto intelligendus, quàm Syro–Macedonum modo, & ſanè Eccleſia Smyrnenſis veroſimiliùs eo menſium modo utebatur juxta dictamen D. Joannis Apoſtoli, cujus diſcipulus fuerat Polycarpus. Mendum porrò eſt in λγ ſeptimo Kal. Majas, pro ſeptimo Kal. Aprilis, cum dies 2. Xanthici in nullo ſenſu cohærere queat diei 25. Aprilis.

III. Tota igitur difficultas ad Sabbati characterem reducitur, cum eo anno dies 26. Martii in Sabbatum non inciderit. Quamobrem videndum, ut quid diem illam 26. Martii, Smyrnenſes illi Quartadecimani utique, Sabbatum magnum nuncupaverint, etſi eo anno Sabbatum non fuerit. Notat Epiphanius ad hæreſ. 50 duplicis generis fuiſſe in Aſia Quartadecimanos. Primùm eos, qui cum Judæis Paſcha celebrabant Lunâ quartadecimâ, in quacunque feriâ ea *evenerit*, & quovis die anni Juliani. Deinde alios, qui omiſsâ Lunâ quartadecimâ Paſcha celebrabant quotannis die 25. Martii, quo die putabant Chriſtum paſſum Lunâ quartadecimâ, idque ex quibuſdam Pilati Actibus, quam opinionem etiam ipſe Epiphanius abnuit. Itaque die 25 Martii anni Jul. in quacunque feriâ memoriam celebrabant illius Paraſceve, ſeu feriæ ſextæ, quâ Chriſtus paſſus, & con-

& conſequenter die ſequenti 26. illius Sabbati, quo Chriſtus fuit in ſepulchro, quodque Joannes magnum Sabbatum appellat, in quacunque feriâ. Hinc cum eâdem die 26. martyrium paſſus D. Polycarpus, narratur id eveniſſe Sabbato magno, ideſt cum celebraretur memoria magni Sabbati. Addiſcimus ergo Smyrnenſes ſub Polycarpo fuiſſe Quartadecimanos ſecundi generis, qui in Paſchatis celebratione cum Judæis non conveniebant.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De Romanis Principibus à Nerone ad Veſpaſianum.

I. DIximus ſupra Cap 10. num. 12. Bellum Judaicum ob illorum à Romanis defectionem cœpiſſe anno Neronis duodecimo, ſeu vulgaris Eræ 66. Anno 67. Nero, cum eſſet in Græcia, commotum Orientem cum videret, ſtatuit Veſpaſianum præclarum ducem in Syriam mittere, illi munus tribuens bellum adminiſtrandi, ubi opus erat, & præſertim contra Judæos. Præmiſit itaque Veſpaſianus Titum filium in Ægyptum, atque ipſe terreſtri itinere in Syriam profectus, Antiochiam pervenit, inde Ptolemaidem, bellumque peregit primùm in Galilea, quam totam ſubegit illius anni Vere, & Æſtate, non ſine multo Romanorum ſuorum ſudore. Dum bellum ſequente anno in Judæa proſequebatur, ei nuntium delatum de motibus Occidentis, etenim in Gallia duce Julio Vindice, qui tunc eam Provinciam

ciam pro Prætore obtinebat, Nero deſtitutus; & pro eo acclamatus Imperator Serg. Sulpicius Galba in Hiſpaniis tunc degens, qui partim metu, partim ſpe, ut ait Suetonius, dignitatem acceptavit, quod evênit, ut notat Pagius, die tertiâ Aprilis; noluit tamen adhuc vivente Nerone Imperatorem ſe vocare, ſed Legatum Senatus, Populique Rom. ſe nuncupavit; ætate ſeptuagenarius erat, natus quippe fuerat ex Suetonio in Villa colli ſuppoſita propè Terracinam ſiniſtrorſum Fundes petentibus nono Kal. Januarii *Conſs.* M. Valerio Meſſala, & Cn. Lentulo, h. e. die 24. Decemb. anni tertii ante vulgatem Chriſti Eram, Juliani nempè 43. junior, quàm referatur ab ipſo eodem Suetonio, qui eum periiſſe tradit ætatis anno 73 pro 71. vix inchoato. Itaque Imperatori juveni ſucceſſit alius ſenex. Accidit, ut narrat Suetonius, ut cum Provinciam Hiſpaniæ Tarraconenſem ingreſſus ſacrificaret, puero è miniſtris acerram tenenti, capillus repentè toto capite caneſceret; nec defuerunt qui interpretarentur, ſignificari rerum mutationem, ſucceſſurumque juveni ſenem, h. e. ipſum Galbam Neroni.

II. Romam deinde à Nerone *defectio pervenit*; quare ipſe deſtitutus, ne in inimicorum manus veniret, ſeipſum occidit die nonâ Junii, ut notat Pagius, quare regnavit annos tredecim, menſes ſeptem, dies vigintiocto. Notabile illud, quòd ſtatim ac matrem occidi mandavit, cum Neapoli eſſet, ad ipſum nuncium pervenit de defectione Gallorum, unde ſubſecutum ejus horribile fatum. In ipſo Cæſarea progenies defecit;

atque

atque inde nullus vocatus Cæſar, niſi Imperator, vel ab Imperatore deſſignatus cum ſpe in Imperio ſuccedendi.

III. Imperavit Galba menſes ſeptem dies ſeptem à Neronis morte, h. e. die 15 Januarii anni inſequentis Eræ vulgaris 69. occiſus, & Imp. creatus M. Salvius Otho, qui natus fuerat die 28. Aprilis Conſs. Camillo, & Domitio Ænobardo, h. e. anno Chriſti 32., ætatis annorum 37 hic ſemet occidit propè Brixellum die 16. Aprilis, ut notat laudatus Pagius, nam Joſephus refert regnaſſe menſes tres, & biduum lib. 5 de Bello cap. 8., at ſi verum dicit Suetonius mortuum anno ætatis 38., oportet id ſeriùs eveniſſe, cum non impleverit annos 37. niſi die 28. Aprilis. Sed priùs quàm occideretur Galba, Vitellius in Germania ab exercitu ſalutatus Imp., qui cum in Italiam deſcenderit tandem victor contra Othonem remanſit. Demùm, & iſte quoque occiſus, cum acclamatus Imperator, Veſpaſianus ab exercitibus Orientis, Romam venerit A' Kalendis Julii ejus Imperii tempus auſpicatum; unde eo tempore, quo capta Jeroſolyma, & Templum incenſum ſub Tito, erat in curſu annus ſecundus Veſpaſiani.

IV. Tacitus lib 2. hiſt de Mutina agit, dum bellum refert Civile inter Othonianos, & Vitellianos, devicti illi fuere in prœlio, quod commiſſum apud Bedriacum oppidum, ut ajunt, inter Veronam, & Cremonam. Otho hujus pugnæ exitum operiebatur Brixelli; at cùm ſibi adverſum intellexit, ſemetipſum occidit. Narrat præfatus author, ut quid Otho Româ adveniens ſecum

cum duxit magnam Romani Senatus partem, quæ Mutinæ ſubſtiterat; ſed cùm huc nuncium pervenit Othonianæ cladis, Senatores illi in maxima fuere conſternatione, & timore, ne trucidarentur à militibus utriuſque factionis, utpotè in quos utriuſque exercitus caderet ſuſpicio; eòque magis timebant, quo ſuſpicionem augebat Ordo Mutinenſis iiſdem Senatoribus Auxilia præbens, atque intempeſtivo honore eos proſecutus, Patres Conſcriptos appellans. Deinde Bononiam digreſſi, poſt varias conſultationes, & metus, tandem cum litteras acceperint à Fabio Valente in exercitu Vitelliano imperante, à metu liberati. Ex verbis Taciti de Ordine Mutinenſe, arguit Cluverius Mutinam fuiſſe Municipium.

FINIS.

OB-

Digitized by Google

OBSERVATIONES

Aſtronomicæ Mutinenſes.

DIe 21. Novembris 1690. poſt horas 24. Civitatis obſervabatur Teleſcopio Venus dichotoma, & ſimul conſpiciebatur fixa ſextæ magnitudinis in Aſteriſmo Sagittarii notata à Bayero litt. h., apud Ricciolum eſt ordine 16., & dicitur ab eo: Obſcura in dextro cubito. Ejus longitudo tunc ex eodem Ricciolo Capric. gr. 17. min. 44. latitud. Auſtr. gr. 3 min. 7. Ex ſitu, & diſtantiâ Veneris ab ea ſtella, deducebatur longit. Veneris Capric. gr. 17. min. 28. latitud. Auſtr. gr. 2. min. 59. vel 57.

Die 21. Decembris eodem anno, eâdemque horâ; obſervabatur Venus corniculata; & ut indicabant cornua, erat conjuncta quoad longit. cum ſtella quintæ magnit. in Aſteriſmo Capricorni à Bayero notata litt. i., eſtque 23. Riccioli, cujus longit. per ipſum tunc erat gr. 13. m. 25. Aquarii; latit. gr. 1. m. 15. ſec. 30. Auſtralis; ergo tanta erat longit. Veneris; latitud. verò gr. 0. m. 48. item Auſtr.

Die prima Maji anni 1691. hor. 2. circiter Horolog. Civilis: conſpiciebantur Saturnus, & ſtellæ proximæ in fronte Scorpii. Saturno proxima erat ſtella, quam exiſtimavi quintæ, vel ſextæ magnit. ferè in eodem parallelo, in quo Saturnus, ſed quarta circiter parte unius gradus orientalior illo. Hæc fixa non notatur in tabula Riccioli,

Borealis in fronte Scorpii minor apparebat eâ, quæ eſt media, contra quod ponit Ricciolus, qui Borealem facit ſecundæ magnit., mediam verò tertiæ. Ubi parva notatur quintæ magnit. à Ricciolo propè Borealem in fronte, vidi duas ſtellas invicem diſtantes decem minutis ferè, quæ in eodem Verticali tunc conſpiciebantur, & ſuperior erat major inferiore, vividiorve, quare illam exiſtimavi quartæ magnit. hanc verò quintæ. Præterea aliæ ſtellæ minores plurimæ videbantur in vicinia dictarum ſtellarum.

Die 24. Septembris ejuſdem anni obſervavi ſtellam illam Ceti, cujus varia eſt magnitudo apparens, inveni autem illam tertiæ magnitud. aliquantò minorem ſtellâ, quæ dicitur Menkar, æqualem verò lucidiori ex duobus in gena. Eodem tempore, quæ notatur in genu Antinoi tertiæ magnit. vix quintæ eam depræhendi. Etiam, quæ eſt 13. Riccioli in Sagittario ſextæ magnitudinis, modò eſt ſtella nebuloſa, ſeu aggregatum ſtellarum.

Die 9 Octobris, fixa quædam erat unico tantùm minuto occidentalior Jove hor. 2. Horol. Civil., diſtantia tamen in Auſtrum *min 6. circiter*. At die 14. diſtabat à Jove *verſus* Ortum æquali ſpatio.

Die 11. ejuſdem Menſis hor. 3. $\frac{1}{2}$ poſt Solis occaſum, Mars ferè conjunctus erat quoad longitud. cum ſtella quartæ magnit. præcedente ſummum pedem Caſtoris, diſtabat tamen hæc ſtella à Marte in Auſtrum min. 14. circiter; cum autem latitudo ſtellæ perhibeatur à Ricciolo min. 13. ſec. 30. Au-

ſtralis,

ſtralis, Mars erat circa Nodum Boreum propè Ecclipticam. Diametr apparens Martis comparata cum Jovis diametro, erat minor tertiâ parte, imò paulò major quartâ parte, & judicavi 14. vel ad ſummum 15. ſecundorum.

Die 2. Novembris, ſtella ſextæ magnit. in genu ſiniſtro Arietis diſtabat à Jove in occaſum min. 15. vel 14. quoad Zodiacum, ſeu ſecundùm longit. Borealior min. 2. vel ad ſummum min. 3., ergo Juppiter in gr. 10. 53. Tauri, cum latit. gr. 1. 32. Auſt. hor. 3. poſt Solis occaſum.

Die 7. Decembris 1692. hor. 6. $\frac{1}{2}$ circiter poſt mer. erant omnes ſatellites Jovis ex parte occidentali reſpectu ipſius Jovis; & cum extimo omnium remotiſſimo à Jove conjungebatur quoad longitud. judicio oculi ſtella ſextæ magnitudinis notata à Bayero litt. n. in Tauri Aſteriſmo, erat tamen auſtralior tertiâ parte unius gradus circiter: locus ſtellæ ex Ricciolo tunc gr. 16. m. 18. Gemin. latitudo gr. 1. m. 4. Auſtr.

Die 15. Auguſti 1693. in Aurora obſervavi Jovem, qui orientalior erat ſtellâ tertiæ magnit. in ventre Pollucis, quanta eſt ferè diameter Solis, h. e. min. 32. circiter: Longit. ſtellæ ex Ricciolo gr. 14. min. 13. Cancri, ergo Juppiter in gr. 14. min. 45.

Die 8 Martii 1694. poſt hor. 24. Civ. Mars diſtabat min. circiter 17. à ſtella Geminorum notatâ à Bayero litt. x, eratque Mars paulò orientalior; exiſtimavi itaque locum Martis in gr. 19. min. 26. Cancri cum lat. gr. 3. 16. S. D.

Die 20. Novembris 1695. nocte ſeq. obſervavi Lunarem Eclipſim, quæ fuit partialis.

Ejus initium fuit hor. 6. 46. 0. poſt mer.
Finis ———— hor. 9. 10. 39.

Unde tota duratio hor. 2. 24. 39.
Dimidia duratio hor. 1. 12. 19. $\frac{1}{2}$
Ergo medium hor. 7. 58. 19. poſt mer.
Bullialdi totalis
Obſcuratio ——— hor. 7. 15. 30.
Tychonis apparitio hor. 8. 39. 0.

Hanc eamdem Eclipſim obſervavit Caſſinus Bononiæ ubi tunc aderat, qui inde diſceſſit die 22. Lutetiam rediturus, & veſpere ſequente in tranſitu Mutinâ, me convênit, retulitque ejus obſervationem hanc

Initium hor. 6. m. 48. ſec. 23.
Finis ——— hor. 9. m. 12. ſec. 30.
Uude tota duratio
hor. 2. m. 24 ſec. 7.
Et medium hor 8 m. 0. ſec. 26. $\frac{1}{2}$

Cohæret autem hæc meæ obſervationi intrà idem minutum primum ſalvâ Meridianorum differentiâ.

Die 22 Januarii 1696. poſt Solis ortum, obſervavi Venerem teleſcopio paulò *minorem* figurâ dichotomâ, erat ejus diameter unius minuti ferè, cum ejus ſemidiameter pertranſiſſet ſpatio 2. ſec. temporis. Eodem tempore Martis diameter apparens judicata ſec. 12.

Ad tubi decupalmaris (quo ferè utebar) amplitudinem inveſtigandam, quæ Campus dicitur, obſervavi tempus tranſitus præcedentis ſtellæ in Orio-

Digitized by Google

Orionis cingulo, quæ ferè eſt in Æquatore; illud autem fuit min. 2. ſec. 19 ergo diameter dictæ amplitudinis, ſeu Campi, continet min. 34. ſec. 51.

Die 1. Maji ejuſdem anni obſervavi emerſionem primi ſatellitis ab umbra Jovis hor. 8 m 23. ſec. 35. p. m. Hæc eadem obſervata fuit Pariſiis, ut ipſe mihi retulit Caſſinus in epiſt. hor. 7. m. 47. ſec. 46., unde prodit differentia inter Meridianos Mutinæ, & Lutetiæ m. 35. ſec. 49. horar., quæ faciunt gr. 8. m. 57. ſec. 15.

Die 8. Maji obſervavi emerſionem primi ſatellitis hor. 10. m 19. p. m.

Die 31. ejuſdem: Emerſio præfata obſervata à me hor. 10. m. 31. ſec. 40. p. m.

Conjunctio Jovis, & Martis videtur contigiſſe nocte ſequente diem 22. Junii, vel circa ortum Solis ſequentis diei. Mars erat meridionalior Jove duabus tertiis partibus unius gradus circiter.

Die 1. Novembris ejuſdem anni hor. 5. m. 58. p. m. fuit conjunctio Lunæ cum auſtrali in cornu Capricorni tertiæ magnit. erat hæc borealior extremo cornu Lunæ boreali m. 7. circiter.

Die 17. Januarii anni 1697. veſpere ſtellam Ceti obſervavi ejuſdem magnitudinis ac Menkar; at menſ. 1., aut 2. antea non cernebatur.

Die 28. Martii anni 1698. veſpere hor. 24. Civit. circiter, erat Mars ferè conjunctus cum ſtella quadam non notata in Catalogis, quæ tamen erat ipſo meridionalior min. 9. circiter.

Die 29. eâdem horâ Mars diſtabat à ſtella γ Bayeri in Virgine tertiæ magnitudinis min. 14. circiter, & adhuc conficere debebat ſex minuta,

ut perveniret ad conjunctionem, & remanebat ſtella auſtralior.

Die 1. Junii ejuſdem anni à me fuit obſervata emerſio primi ſatellitis hor. 8. m. 31. p. m.

Die 8. ejuſdem fuit emerſio primi ſatellitis hor. 10. m. 25. ſec. 40.

Die 1. Julii fuit emerſio &c. hor. 10. m. 34.

Die 17. ejuſdem fuit emerſio &c. hor. 8. m 49. ſec. 50.

Die 27. Decembris ejuſdem anni, veſpere Venus parùm diſtabat à Saturno, & Teleſcopio comparata ejus diameter apparens cum diametro Saturni, judicavi diam. apparentem Veneris tunc non multo minorem duplo diametri majoris Saturni; quare diam. Veneris ad minùs erat min. 1. ſec. 40.

Die 1. Januarii anni 1699 h. o. $\frac{1}{2}$ poſt Solis occaſum Mars diſtabat à Saturno in occaſum min. circiter 8., eratque aliquantulò auſtralior diametro majore ellipſeos Saturni ductâ verſus occaſum.

Die 2. eâdem horâ diſtabat Mars à Saturno in ortum m. 33., & altior admodùm lineâ ſupradictâ ellipſeos, h. e. borealior. Fuit conjunctio horum Planetarum, ferè corporalis, *quæ non potuit* obſervari; quare quoad tempus ejuſdem meliùs Argolus quàm Mezzavacca.

Die 17. Auguſti ejuſdem anni, in Aurora obſervavi Venerem, & Martem, quorum conjunctio præceſſerat eâdem nocte ſeriùs, quàm poſuerit Mezzavacca in Ephem. Quoad latitudinem Mars fuit borealior Venere min. 35. vel 36.

Die

Die 5. Septembris circa hor. 1. Civit. directo in Saturnum Teleſcopio 17. pedum Pariſ. primùm vidi ſatellitem Hugenianum correctâ apparentiâ Teleſcopii inverſo modo repræſentantis, erat verè ſatelles in parte orientali, & aliquantò auſtralior, diſtabat ab extremo annuli duabus diametris ejuſdem cum ſemiſſe circiter.

Die 23. ejuſdem menſis fuit Solis Eclipſis, quam obſervavi directo in Solem Teleſcopio decupalmari, & receptâ ejus lucidâ ſpecie in alba papyro intrà obſcurum conclave. Phaſium obſervatio talis:

		h.	m.	
	Initium	h. 20.	m. 55.	p. mer. diei 22.
	Dig. 1.	h. 21.	2.	
	Dig. 2.	21.	9.	
	Dig. 3.	21.	16.	
	Dig 4.	21.	23.	
	Dig. 5.	21.	30. ½	
	Dig 6.	21.	38.	
	Dig. 7.	21.	46.	
	Dig. 8.	21.	54.	Summa obſcuratio
Etiam	Dig. 8.	22.	30.	fuit Dig. 8. m. 50.
	Dig. 7.	22.	38.	vel 55.
	Dig. 6.	22.	47.	
	Dig. 5.	22.	55.	
	Dig 4.	23.	3.	
	Dig. 3.	23.	11.	
	Dig. 2.	23.	19.	
	Dig. 1.	23.	26.	
	Finis	23.	33.	20.

Meam hanc obſervationem D. Caſſino communicavi, ſimulque ipſum rogavi, ut ſuam in Obſervatorio Regio peractam ad me tranſmitteret;

itaque in epiſtola ad me ſcriptâ incluſam ſuam obſervationem humaniſſimè emiſit : epiſtola autem ipſius talis fuit Italicè ſcripta.

Molto Reverendo Padre mio Sig. Prõn Colmo.

GRatiſſima mi è ſtata l'oſſervazione dell' Eccliſſe del Sole inviatami da V. R. Noi oſſervammo quà il principio a ore 8. m. 15.; la più grande oſcurità di 9. Deti, m. 29. a ore 9. m. 27. Il fine a ore 10. m. 45. ſec. 5. Da queſte faſi inferiſco, che al principio oſſervato da Modona a ore 8. m. 55. erano a Parigi ore 8. m. 20 ſec. 45., di dove la differenza de' Meridiani riſulta m. 34 ſec. 15., e che al fine oſſervato a Modona a or 11. m. 33. ſec. 20 erano a Parigi ore 10. m. 59. ſec. 10., che danno la differenza de' Meridiani di m. 34. ſec. 10. Non ho ancora comparato altre oſſervazioni con le mie, che ſiano così d'accordo in queſte due faſi. La grandezza da lei oſſervata di quaſi 9. Deti, mi viene a Modona di 8. Deti m. 56. Scrivo al Sig. Co: Filippo Monti, che invii a V. R. un' eſemplare dell' altre faſi, che quì abbiamo oſſervate in diverſe maniere, e pregandola a continuare di comunicarmi le oſſervazioni, che va facendo con tanta eſatezza; e devotamente le bacio le mani.

Di V. R.

Parigi li 25. d' Ottobre 1699.

Devotiſs., & Obbligatiſs. Serv.
Gio: Domenico Caſſini.

OB-

OBSERVATIO ECLIPSIS SOLIS

Diei 23. Septembris 1699. Pariſiis in Obſervatorio Regio.

Initium 8. hor. 15. min. 8. ſec. poſt medinoctium.

Digiti	Per magnum teleſc. 45. pedum	Per microm.	Ex tranſitu per filum horiz. & verſic.
	H.	H.	H
1.	8. 20. 40.	8. 20. 16.	8. 20 44.
2.	8 26. 40.	8 26. 38.	8. 27. 10.
3.	8. 34.	8. 33. 15.	8. 33. 40.
4.	8. 40. 29.	8. 40. 2.	8 40 10.
5.	8. 46. 28.	———	8. 46. 28.
6.	8. 53. 6.	8. 52. 43.	8. 52. 58.
7.	8. 59. 53.	8. 59. 24.	9. 0. 8.
8.	9. 8. 26.	———	9. 7. 30.
9.	9. 15. 53.	9. 16. 6.	9. 16. 0.
9.	29. maxima obſcuratio h. 9. 27.		
9.	———	9. 39. 33.	9. 39 10.
8.	———	9. 48. 24.	9. 48. 20.
7.	———	9. 55. 44.	9. 56. 22.
6.	———	10. 4 19.	10. 3 29.
5.	———	10. 11. 6.	10. 9 58.
4.	10. 17. 37.	10. 17. 58.	10. 17. 41.
3.	10. 24. 33.	10. 26. 4.	10. 23. 53.
2.	10. 31. 14.	10. 31. 57.	10 31. 55.
1.	10. 37. 38.	———	10. 37. 37.
Finis	10. 44. 51.	10. 45. 6.	———

Die

Die 1. Martii 1702. hor. 2. circiter poſt Solis occaſum vidi prolixam Cometæ caudam ab horizonte occiduo extenſam versùs Ortum, nonnihil ad Auſtrum inflexam per Cetum, & inter duos flexus Eridani tendentem rectà ad Leporem, illuc tamen non pervenientem. Vidi etiam die 2., & 3. Deinde propter nubes, necnon Lunæ ſplendorem omiſi obſervationem. Die 15. non videbatur.

Die 12. Maji anni 1706. fuit inſignis Eclipſis Solis digit 11. Initium obſervavi hor. 20. m 57. poſt mer. diei anteced. more aſtronomico. Finis ob nubes obſervari non potuit. Latitudo Lunæ viſa erat ſeptemtrionalis.

Die 4. Julii ejuſdem anni nocte ſeq. fuit Veneris cum Jove conjunctio, & diſtabat Venus à Jove in Boream ad minus min 40.

Die 14. Septembris anni 1708. fuit Solis Eclipſis. Latuit Sol propter nubes uſque ad medium circiter Eclipſis, quæ major digit. 4. Ejus finis exactè hor. 2. m. 45 ante meridiem.

Die 29. Septembris ejuſdem nocte ſequente fuit Lunæ Eclipſis. Initium fuit hor. 8. min. 43. p. m. Umbra tetigit inferius littus Maris humorum hor. 8. m. 53. Tychonem hor. 9. m. 2. Grimaldum hor 9. m. 5. Lacum, *ſeu maculam infra* extremum Sinus *Nectaris* hor. 9. m. 45.

Die 11. Martii anni 1709 fuit Solis Eclipſis. Initium obſervari non potuit propter nubes. Hor. 1. m. 42. p. m. apparebat diſtinctè Sol terminatus, etſi nubes interponerentur, itaut liberè conſpici poſſet ſine oculi læſione, & videbatur etiam clarè pars eclipſata; oculorum judicio eclipſis erat

dig. 2.

dig. 2. $\frac{1}{2}$ circiter; deinde latuit. H. 2. m. 55. per teleſcopii vitra judicata eclipſis dig. 3. $\frac{1}{2}$ circiter. Finis obſervatus hor. 3. m. 34. p.m.

Die 23. Januarii 1712. Fuit Lunæ Eclipſis partialis nocte ſequente. Initium hor. 7 m. 22 p m. Pervenit umbra ad Ariſtarchum hor. 7. m. 43. Finis hor. 9 m. 14.

Die 8. Junii 1713. Lunaris Eclipſis partialis finis obſervatus à me hor 8. m. 17. 20. p m.

Die 12. Auguſti ejuſdem anni, veſpere Juppiter obſervatus conjunctus cum fixa ſextæ magnit. quoad longit., quæ notatur à Bayero in Aſteriſmo Aquarii litt. h à Ricciolo nominatur: Sequens in primo flexu Aquæ Aquarii; erat Jove auſtralior, hinc Jovis latitudo major non erat, quàm unius gradus Mer.

Die 3. Maji anni 1715. celebris Solis eclipſis contigit. Eam obſervavimus conſueto teleſcopio decupalmari, recepta Solis ſpecie in alba papyro; aderant D. Marchio Joannes Rangonus, D Dominicus Corradus Sereniſſimi noſtri Ducis Mathematicus, & D. Jo: Andreas Monti, aliique.

Eclipſis initium hor.	20.	47.		P. Mer. diei antecedentis 2. Horol. pendul. rectif.
Dig. 1. ———	20	52.		
Dig. 2. ———	20.	58.		
Dig. 3. ———	21.	3.	50.	
Dig. 4. ———	21.	11		
Dig. 5. ———	21.	18.		
Dig. 6 ———	21.	25.		
Dig 7. ———	21.	31.		
Dig. 8. ———	21.	38.		

Dig.

Dig. 9. ———	21.	50.		
Medium ———	21.	56.		Maxima obſcuratio Dig 9. 15.
Dig 9. ———				
Dig 8. ———	22.	12.	10.	
Dig. 7 ———	22	20.	50.	
Dig. 6. ———	22.	27.	45.	
Dig. 5. ———				
Dig. 4. ———	22.	41.	50.	
Dig. 3. ———	22.	49.	46.	
Dig. 2. ———	22.	56.	30.	
Dig. 1. ———	23.	2	4.	
Finis ———	23.	6.	7.	

Erat Solis diameter apparens circa medium Eclipſis ad Lunæ diametrum apparentem, ut 195. ad 200.; erat autem Solis diameter min 15. 57. hoc eſt ſecunda 957. Ut ergo 195 ad 200., ita 957. ad 981, quæ faciunt min. 16. 21., & tanta fuit tunc ſemid. apparens Lunæ.

Die 2. Julii 1716. veſpere hor. 8 circiter p. m. Teleſcopio obſervabatur Venus ſicut Luna dierum quinque, vel ſex; & apparebat Regulus ſimul cum ea in eadem ferè linea horizonti parallela, Auſtralior tamen Regulus circiter min. 20.

Hujus anni 1718. die 16. *Martii fuit totale* Lunæ Deliquium, quod cum *interdiu* contigerit, obſervari non potuit; tamen potuit ejus Finis obſervari, & de facto datum mihi ipſum obſervaſſe ejus diei veſpere poſt Solis occaſum hor. 6. p. m. min. 16. ferè.

AD-

Digitized by Google

ADDITIO

Ad Inſtitutionem Phyſico-Aſtronomicam pertinens.

APparentem nobis ſpiralem Solis motum, in duos reſolvimus, nempè Diurnum, & Annuum. Ille velox conficitur ſpatio diei, noct ſque, fitque circa Axem Æquatoris, & Polos; quem motum tribuunt Copernicani ipſi Telluris Globo, qui circa proprium Axem revolvatur ſpatio h 24. ab occaſu quidem in Ortum, unde Sol apparet in contrariam partem ferri. Annuus triplicem continet periodum, nempè Sydeream, Tropicam, & Anomaliæ. Syderea eſt Solis circuitus ſub Ecliptica, quo totam Cœli ſtellati faciem in longum percurrit uſquequò ad eumdem ſitum reſpectu ſtellarum fixarum denuò revertatur, completurque diebus 365. hor 6. m 9 ſec 27 Iſtius Periodi ratio nulla eſſe videtur noſtræ ignorantiæ; & de facto nulla eſſe deberet in eorum opinione, qui aſtrorum parvipendunt influentias; verùm quis ſanæ mentis inanem eſſe hanc periodum cogitabit, nihilque ad Terram pertinere hunc Solis motum reſpectivum in Orbe annuo? Ejus itaque finis alius eſſe non poteſt, quàm diverſa combinatio Solaris influentiæ cum influentiis fixarum, quæ etſi nobis ignotæ, veræ tamen ſunt.

Secunda Periodus Tropica nuncupata eſt Solis circuitus ſub eâdem Ecliptica uſquequò ad eumdem ſitum perveniat relatè ad puncta æquinoctialia, ſive ſolſtitialia, quod fit aliquantulò citius,

quàm

quàm in Periodo ſydereâ propter præceſſionem, ut vocant, æquinoctiorum, quæ puncta lentiſſimè moventur ab Ortu in Occaſum relatè ad fixas; fit autem hæc Tropica periodus ſpatio dierum 365. hor. 5. min. 48. ſec. 37. ex Caſſino. Et hic eſt Annus ſolaris vulgaris, cujus finis eſt temporum varietas, & viciſſitudo, puta Veris, Æſtatis, Autumni, & Hyemis juxta Climatum rationem. Vulgus autem has duas periodos, nempè ſyderam, & tropicam confundit propter exiguam differentiam inter ipſas; hinc Poetæ ſæpe anni tempora deſignant per ortus, & occaſus ſyderum relatè ad Solem, tanquam ſi perpetuò iiſdem anni temporibus ea affigerentur, cum tamen propter dictam æquinoctiorum præceſſionem id verum non ſit.

Notandum quòd ſi non fuiſſet neceſſaria ſyderea periodus, ſed tantùm Tropica, motus Solis annuus non fieret per Eclipticam, ſed per circulum ductum per Polos Æquatoris, & ſecantem orthogonaliter ipſum Æquatorem à Tropico in Tropicum, & viceverſa. Sicut ſi non fuiſſet neceſſaria Periodus Tropica, benè tamen ſyderea, Solis motus fieret ſub ipſo Æquatore. Modò cum utraque ſit neceſſaria, motus *annuus Solis ſit ſub* Eclipticâ obliquè poſitâ ad Æquatorem.

Tertia Periodus eſt Anomaliæ: Hæc eſt Solis circuitus ſub Ecliptica, quo reſtituitur ad eumdem ſitum relatè ad Abſides ſuæ Orbitæ, h. e. Apogeum, & Perigeum; & hæc Periodus eſt aliquantulò longior ſydereâ, quoniam Abſides moventur ab Occaſu in Ortum relatè ad fixas.

Quod

Quod dictum eſt de motibus Solis reſpectivè ad Tellurem noſtram, dicendum quoque proportionaliter de motibus ejuſdem Solis reſpectivè ad ſingulos Planetas, puta Saturnum, Jovem, Martem, Venerem, & Mercurium. Conſideremus Martem: hujus Globus revolvitur circa proprium axem ſpatio hor. 24. min 40 ex obſervationibus D. Caſſini. Hinc Sol ex Marte appareret motu diurno revolutus ab Ortu in Occaſum paulò minori velocitate, ac à nobis terrigenis; & cum Sole pariter omnia aſtra. Inſuper Sol videretur incedere ſub Zodiaco ab occaſu in ortum ſub eadem Orbita Martis, cum Sol ſit in eodem plano dictæ Orbitæ, ſicut etiam Eccliptica (quæ eſt Terræ Orbita in hypotheſi Terræ motæ), & aliarum curvarum, quas Planetæ cæteri deſcribunt. Cum autem axis ipſius Globi Martis inclinetur quoque ad axim ipſius Orbitæ, quam Mars ſpatio biennii circa Solem deſcribit, duplex quoque Periodus reſpectiva Solis ad Martem erit conſideranda, nempè Syderea, & Tropica; & rurſus etiam Anomaliæ propter excentricitatem dictæ Martialis Orbitæ.

Sed de his omnibus Lectorem remitto ad Inſtit. meam Phyſico-Aſtronomicam; ſicut quoad rationes Periodi Anomaliæ ad Cap. 14. ejuſdem Inſtitut.

Correctione tamen eget aliquod, quod ſcripſi in Cap. 19. circa Diſtantiam Lunæ à Terra ſecutus antiquam illius Theoriam, quam reformavit Clariſſimus Caſſinus ex obſervationibus apparentis diam. Lunaris Diſci.

Di-

Digitized by Google

Dixeram Lunam in Apogeo, & ſimul in Conjunctione, & Oppoſitione Solis obtinere maximam à Terra diſtantiam, & majorem, quàm cùm eſt in Apogeo, & in quadraturis: quod nequaquam verum eſt; nam in primo caſu Luna à Centro Terræ diſtat diam. Lunaribus 116.; in ſecundo caſu verò diam. 116 & ampliùs, tertiâ parte unius diametri. Neceſſe eſt (quod confirmant obſervationes) ut determinetur Lunæ diſtantia à Terra, conſiderare velocitatis gradum, quo Luna circa Terram reſpectivè movetur; ubique etenim de eodem Planeta verum eſt dictam velocitatem eſſe in duplicata ratione diſtantiarum, ſeu, quod idem eſt, ut quadrata diſtantiarum reciprocè. Itaque verum quidem eſt, Lunam in Perigeo, & Sizigiis poſitam motu velociſſimam eſſe, quàm uſquam ſit, idque non ſolùm propter Perigeum; ſed etiam propter inæqualitatem illam, quæ dicitur Variatio Tychonica, de qua pag. 86. in eodem Cap.; idcircò Lunam eſſe ibi maximè Telluri proximam, à qua ex Caſſino diſtat diam. Lunaribus 102. ex obſervationibus apparentis diametri; At in Apogeo non eſt in maxima à Terra diſtantia, quàm unquam ſit, quia *motus Lunæ* ibi etſi tardiſſimus ſpecturâ excentricitate, quam dat maxima æquatio gr. 7. $\frac{1}{2}$, non eſt tamen abſolutè tardiſſimus propter accelerationem, quam tunc dat variatio Tychonica, unde Terræ vicinior, quàm alioquin eſſet ſpectatâ priori inæqualitate, diſtat ſiquidem diam. Lunaribus 116. ex obſervatione diametri apparentis.

In ſecundo caſu, in quo nempè Apogeum, & Perigeum cum quadraturis coincidunt, & in quo Lunæ Orbita eſſet minùs excentrica, conſideratâ maximâ æquatione gr. 5., eſt quidem Lunæ motus minùs tardus in Apogeo in hoc caſu, quàm in primo, ſpectatâ priori inæqualitate; at ſpectatâ variatione Tychonicâ, ratione cujus in quadraturis fit tardior motus Lunæ, hic fit abſolutè aliquantulò tardior in Apogeo, & in quadraturis, quàm in Apogeo, & Sizigiis; & ex hac aliquantulò majore tarditate reſultat major à Terra diſtantia tertiæ partis unius diametri Lunaris. Eſt ergo in hoc ſecundo caſu diſtantia Lunæ Apogeæ diam. Lunarium 116. $\frac{1}{3}$ In Perigeo diam. 107.

Juxta hæc corrigenda quoque, quæ habentur in fine Cap. 21. ubi dicitur: *Quod attinet ad veram Lunæ magnitudinem* &c Minima Lunæ à Terra diſtantia ex Caſſino eſt ſemid. terreſtrium 53. & maxima eſt paulò major ſemid. 62. Hinc minima Lunæ à Terra diſtantia eſt ferè 400. pars minimæ Solis à Terra diſtantiæ. Solis diameter eſt centies major Terræ diametro, unde ſuperficies eſt major vicibus 10000., & ſoliditas vicibus 1000000 Cùm Luna eſt in Perigeo, ejus diameter apparens ſemper eſt major diametro apparente Solis, in quocunque ſitu iſte reperiatur. Lunæ apparens diameter, augeri poteſt ab Horizonte uſque ad Zenith parte ſui decimaſextâ; cujus ſemiſſe cùm pervenit ad gr. 30. altitudinis ab eodem Horizonte.

ALIA ADDITIO AD APPENDICEM

Pro Reformatione Geographiæ.

INſtitutioni Phyſico-Aſtronomicæ, quam anno 1695. edidi, Appendicem annexeram pro Reformatione Geographiæ; hujus Appendicis ſecunda pars fuit ſpecialiter circa Italiæ noſtræ Chorographiam, cujus Reformatio admodùm exoptata, atque à Viris doctis expetita; memini id legiſſe in quodam libro recentioris authoris; at ego multò ante (quod ille ignorabat) id animo verſatus, præfatæ Appendicis ſecundam illam edideram Partem; libentiùs legiſſem non ſolo deſiderio, ſed operâ manum admoviſſe aliquos. Non eſt dubium, correctione indigere Maginianas Tabulas, & quaſcunque uſque adhuc editas. Suppoſuimus exactè notos quatuor Civitatum ſitus ex Cap 33. Inſtitutionis noſtræ, nempè Bononiæ, Mutinæ, Ravennæ, & Ferrariæ ex datis à Ricciolo Geodeticis obſervationibus. Verùm poſtea nonnihil correctâ Bononiæ Latitudo Geographica in Templo S. Petronii, ubi inſigne collocatur Heliometrum, cum priùs poſita à Caſſino gr. 44 29 5., poſtea ab eodem ſtatuta gr. 44. 29. 30.; quare proportionaliter nonnihil augenda cæterarum trium Urbium Latitudo, itaut Mutinæ, ubi Turris eſt S. Geminiani ſit gr. 44 38 40. rotundè, paucis neglectis ſecundis, de quibus certitudo non habetur. Ravennæ quoad locum à Ricciolo ſignatum gr. 44. 25. 10. Ferrariæ gr. 44 51. 30.

Apud

Apud Maginum differentia Longitudinis inter Bononiam, & Romam eſt gr. 1. 50., quæ multò major eſt verâ: ex recentioribus enim obſervationibus eclipſium primi ſatellitis Jovis non eſt major gr. 1. 2. $\frac{1}{2}$ In Tabula Magini, quâ Status Venetus deſcribitur, eruitur angulus Poſitionis Montis Baldi Veronenſis quoad ejus medium è Mutina gr. 10. $\frac{1}{2}$ Bor–occid., ſed verè, ut ego ſedulò obſervavi, eſt tantùm gr. 2. circiter. Pariter angulus Poſitionis Montis Euganei qui dicitur Vendæ in agro Patavino eruitur gr. 28. Bor–orien, at verè è Mutinæ Turri à me obſervatus eſt gr. 39. Hinc colligitur Venetias eſſe orientaliores, quàm à Magino ponantur relatè ad nos hìc Mutinæ, & per conſequens etiam Patavium, Vicetiam, & Veronam, quæ verè eſt aliquantulò orientalior Mutinâ, non autem occidentalior, ut ponitur à Magino, & ab aliis; adeò ad Reformationem Chorographiæ, ejuſque perfectionem confert Geodeſia.

Ad rectam Italiæ Chorographiam confert obſervationum notitia, quas D. D. Caſſinus, & Chapelles peregerunt circa Latitudines plurium Italiæ locorum, præſertim maritimorum &c., quam notitiam è Pariſiis acceptam mihi humaniſſimè communicavit Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus D. Paris Maria Salvago Patritius Genuenſis, quam exprimit hæc Tabella.

LATITUDINES.

Romæ	gr. 41. 52.
Bononiæ	gr. 44. 29. $\frac{1}{2}$
Ferrariæ	gr. 44. 52.
Urbanæ Arcis	gr. 44. 36.
Florentiæ	gr. 43. 46. $\frac{1}{2}$
Piſarum	gr. 43. 42.
Liburni	gr. 43. 33.
Senæ	gr. 43. 22.
Lojani	gr. 44. 16. $\frac{1}{3}$
Inſ. Pontiæ	gr. 40. 56. $\frac{1}{2}$
Cajetæ	gr. 41. 14. $\frac{3}{4}$
Centumcellæ	gr. 42. 6. $\frac{1}{2}$
D. Stephani & Montis Argentarii	gr. 42. 27.
P. Delphini	gr. 44. 18. $\frac{1}{3}$
P. Veneris	gr. 44. 4.
Genuæ	gr. 44. 25.
Sabatii	gr. 44. 19.
S. Remi	gr. 43. 48. $\frac{1}{2}$
Niceæ	gr. 43. 41. $\frac{1}{2}$

In Corſica.

P. Veteris	gr. 41. 39.
Bonifacii	gr. 41. 24. $\frac{1}{2}$
Adjacii	gr. 41. 54. $\frac{1}{2}$

In Sicilia.

Panormi	gr 38. 9. 10.
Meſſanæ	gr. 38. 11. 10.
Drepani	gr. 38. 3. $\frac{1}{2}$

Longitudinis differentia inter Romam, & Lutetiam ex obſervationibus eclipſium Primi Satellitis Jovis ————	gr. 10. 20.
Inter Bononiam & Lutetiam ————	gr. 9. 17. $\frac{1}{2}$
Inter Mutinam & Lutetiam ex tribus obſervationibus Fontanæ cum Pariſienſibus comparatis ————	gr. 8. 52. $\frac{1}{2}$

Hæc communicavit mihi in ſua epiſtola præfatus D. Salvago.

Hinc vides, quantâ indigeat correctione Magini Tabula, & quemadmodùm ipſe Maginus Italiæ longitudinem in Meridiem magis protraxerit, quàm

quàm olim Ptolemæus, ita nos cogimur adhuc magis in Meridiem quàm Maginus, ex eo, quòd multò major ſit in Tabulis Magini differentia Longitudinis Geographicæ inter Bononiam & Romam, quàm revera ſit. Hinc etiam Centumcellæ vulgò *Cività vecchia* perperam ponitur meridionalior Româ min. 4. à Magino, cum verè ſit Borealior min. 14. ½ juxta præfatam Tabellam. Conſtabit quoque etiam Inſulas Corſicam, & Sardiniam magis trahendas in Boream, quàm apud Maginum, ſicut etiam Genuam, itaut Adjacium ſit ferè in parallelo Romæ, ille autem Adjacium facit Româ auſtralius ſupra unum integrum gradum. Idque confirmatur ex obſervationibus Geodeticis Antipoli in Provincia peractis à D. D. Pichardo, & de la Hire eò miſſis à Rege, ubi angulum Poſitionis obſervarunt Cap. Rubei in Corſica gr. 50. 27. ½ à Mer. in Ortum unde proportionaliter deſcriptâ Corſicâ, fit, quod dixi. Obſervationes autem illæ continentur in Volumine Pariſiis impreſſo anno 1693., quod retuli eodem anno in Ephemeride Eruditorum Mutinenſe. Porrò locorum ſimmetriam emendandam, neque pagos, minutaque oppida, & fluviorum ductus rectè poni à Magino argumentor ex inſpectione noſtræ hujus regionis.

Itaque quò omninò exacta Italiæ Chorographica deſcriptio delinearetur, foret opus ſingularum partium haberi Topographias; nihilominus ex fundamento præfatarum obſervationum, necnon adhibitis aliis, quas habere poſſumus, Tabulis,

collatis omnibus inter ſe, puto delineari poſſe generalem Italiæ Tabulam, etiam ſatis magnam, multò exactiorem, quàm uſque adhuc ſit factum. Cogitaverat olim præ mentis ſuæ magnitudine Sereniſſimus Dux noſter Franciſcus II. glorioſæ memoriæ, ſuæ Ditionis Tabulam delineandam, & quidem, quantum eſſet poſſibile, exactiſſimam; quare id operis commiſit D. Jacobo Cantello ejus Geographo, & Bibliothecario, qui fratrem ſuum D. Nicolaum Sacerdotem pro ſe propoſuit, utpotè eum, qui majore fruebatur otio, viribuſque conſtantior ad perferendos migrationum, inſpectionumque non exiguos labores. Verùm cum hic alioquin ad opus iſtud fuiſſet paratus, aptuſque, tamen in Mathematicis minimè verſatus, atque in Geodeſia rudis, inſtrumentis carens ad rem neceſſariis, Tabulam quidem exaravit permagnam montanæ regionis, tamen quò major fuit Tabula, in illa, ad trutinam Geodeticarum obſervationum revocata, apparuere in Poſitionum angulis, atque in locorum intervallis, veriſque ſitibus, errata.

Hinc manum admovi ad Geodeſiam hujus noſtræ regionis, mihique fuit adjutor D. Dominicus Corradus Sereniſſimi Ducis *noſtri Raynaldi* I. Mathematicus, occaſione frequentium migrationum ejus juſſu per ejuſdem ditiones. Itaque ex hiſce Geodeticis obſervationibus verum ſitum didicimus duarum Urbium præter præfatas quatuor (quod ad generalem Italiæ Chorographiam ſpectat) nempè Regii, & Parmæ; & inſuper aliorum locorum in hac noſtra regione. Uſque adhuc obſervationes tot non fuere, ut plurium locorum

ſitum

ſitum in hac noſtra regione pernoſcere, Geodeſiæ beneficio, potuerim. Geodeticum ſchematiſmum lineare in charta exaravi; imò locorum intervalla ope Trigonometrici calculi per logarithmos reperii; nonnulla præcipua in planicie loca deſignantur; & tria montanæ regionis, quorum unum eſt Vertex celſiſſimi in regione montis, quem vulgò vocant *il Cimone*, cujus ſitum agnoſcimus partim ex angulo Poſitionis in ipſa Mutinenſi Turre obſervato, partim ex datis à Ricciolo in Geographia Ref. in libris Geodetico, & Altimetrico; alterum eſt ſitus in Alpibus Cuſnæ, quem vocant *la bocca del Paſſone*, ubi obſervationes egit laudatus Dominus Corradus. Tertium eſt Mons Baliſta, vulgò *Valeſtra*. Geodeſiam hanc noſtram expono per angulos Poſitionis locorum ex loco, ubi eſt Turris Mutinæ, & per eorumdem locorum intervalla ab ipſa Turri expreſſa per minuta circuli maximi Terræ, quæ accipi poſſunt pro Italicis milliaribus regularibus, ſtante ipſorum varietate; additâ etiam latitud. Geographicâ præcipuorum locorum. Minuta autem intelligimus juxtà menſuram Terræ circuitus, de qua in noſtra Inſtitut. cap.33. pag 134.

Angulus Poſitionis Regienſis Horologii è Mutinenſe Turri Bor–occid. gr. 75. 44. Diſtantia inter hæc duo loca 13. 3. Latitudo Geogr. præfati Horologii Regienſis gr. 44. 41. 50.

Parmæ Angulus Poſitionis Bor–oc. gr. 69. 14. Diſtantia reſpectu Regii 14. 25., reſpectu Mutinæ 27. 38. Latitudo gr. 44 48. $\frac{1}{2}$

Herberiæ, ſeu Ruberiæ inter Mutinam, & Regium in ſiniſtro latere fluvii Siclæ Angulus Po-

ſitionis Bor–occid. gr. 85. 40. Diſtantia 5. 34. reſpectu Mutinæ.

Mirandulæ altioris Turris Ang. Poſit. Bor–orient. gr. 23. 6. Diſtantia 14. 27. Latitudo gr. 44. 51. 40.

Carpenſis Turris Ang. Poſit. Bor–occid. gr. 11. 4. Diſtantia 8. 19. Latitudo gr. 44. 46. 50.

Corrigienſis Turris S. Dominici Ang. Poſit. Bor-occid. gr. 39. 1. Diſtantia 9. 52.

S. Martini Marchionum Eſtenſium Ang. Poſit. Bor–occid. gr. 44. 10. Diſtantia 7. 45.

Nuvolariæ Ang. Poſit. Bor–occid. gr. 35. 40. Diſtantia 12. 57.

Soleria in eodem ferè Meridiano Mutinæ collocatur. Ejus diſtantia 5. 30. atque eodem intervallo Borealior.

Palatii Lamæ in Carpenſi Territorio Bor–orien. gr. 6. 6. Diſtantia 10. 5.

S. Felicis Ang. Poſit. gr. 39. 6. ferè idem, ac Montis Vendæ in Territorio Patavino. Diſtantia 13. 18.

S. Poſſidonii inter Mirandulam, & Concordiam Ang. Poſit. Bor–orien. gr. 16. Diſtantia 13. 31.

Eccleſiæ vulgò *della Cà de' Coppi* propè Panarum fluvium in ſiniſtro latere Finalem verſus Ang. Poſit. Bor–orien. gr 52. 6. Diſtantia 12. 55.

Verticis Montis in Apennino Cimonis nuncupati intra fines Mutinenſis Ducatus, Ang. Poſit. Mer–occid. gr. 19. 19., quo angulo dato, & datâ diſtantiâ ejuſdem à Serra Paterni à Ricciolo repertâ paſs. Bonon. 30314, per. 1. & 2. reg Trigonom.

Geogr. Ref. l. 6. pag. 182.

nom. Obliquang. Cavalerii eruitur; datâ etiam diſtantiâ Serræ Paterni à Mutinæ Turri juxta eumdem Ricciolum paſs. Bonon. 20441. &c calculo eruitur ejuſdem Montis diſtantia à Mutinæ Turri paſs. Bonon. 28453, h. e. min circuli Terræ maximi (juxta ſtatuta à Pariſienſi Academia) 29. 12. Latitudo gr. 44. 11. 10. *l. 4. pag. 113.*

Loci in Dorſo montium Cuſnæ, qui dicitur *Bocca del Paſſone*, ubi obſervaverat D. Corradus, Ang. Poſit. Mer-occid. gr. 43. Diſtantia 31. 40.

Montis Baliſtæ vulgò Valeſtra in Regienſi Diœceſi Ang. Poſit. Mer-occid. gr. 52. 3. Diſtantia 18. 34.

Caſtri, quod nuncupatur Montechiarugolo in ſiniſtro latere Fluminis Entiæ in Agro Parmenſi, Ang. Poſit. Bor-occid. gr. 86. 19. Diſtantia reſpectu Regii 9. 21., at reſpectu Mutinæ (cujus etiam eſt præfatus Ang Poſit.) 21. 49.

Optavi hanc Geodeſiam noſtram fundari in aliqua linea, cujus magnitudo innoteſceret ex obſervationibus olim P. Riccioli Bononienſibus, ſicut lineæ intervalli inter Cimonem, & Mutinam, quæ etſi ab ipſo Ricciolo non exprimatur, tamen ex datis ab eodem calculo eruitur. Vel lineæ intervalli inter Turres Bononiæ, & Mutinæ expreſſi numero paſs Bonon 19667. h. e. 20. 11. Verùm cum id conſideratum non fuerit ab obſervatore circa alia diſtracto, fuit neceſſe aliam lineam ſtatuere pro baſi totius præfatæ Geodeſiæ, cujus menſura perticarum numero innoteſceret; hanc autem aptiſſimam judicavi Intervallum inter medium Civitatis Mutinæ, & caſtrum Campi Galliani,

liani, cujus Poſitionis angulum jam novimus à ſitu Regii in Septemtrionem gr. 19. hoc eſt Bor-occid. gr. 56. $\frac{2}{3}$ In tabula Mutinenſis diſtrictus à Boccabadato delineatâ, intervallum dimenſus à medio Urbis ad Siclæ trajectum verſus præfatum Caſtrum, reperi perticas 1533.; deinde ex ſcriptis apud D. Jo: Franciſcum Fontanam fel. mem. à dicto trajectu ad caſtrum perticas 825., h. e. totum Intervallum pert. 2358. hoc eſt min. circuli Terræ maximi 3. 57. Priùs quàm notaſſem præfatas pert. 1533. ex alia notitia exiſtimavi menſuram totius Intervalli eſſe quatuor minutorum exactè, quam menſuram ſuppoſui in toto calculo Geodetico; at propter exiguam illam trium ſecundorum differentiam, atque incertitudinem etiam, dum agitur de hujuſmodi minutiis, puto quatuor minutorum quantitatem exactè hac in re rectè acceptam fuiſſe. Porrò in montibus Cuſnæ oportunè à D. Corrado fuit captus angulus Poſitionis Campi Galliani reſpectu Mutinæ gr. 7. 10., quo noto, notoque angulo è Mutinâ inter ſitum illum montanum, & Campum Gallianum, atque efformato primo triangulo, in quo notis duobus angulis, & conſequitur tertio, & uno latere, per 2. reg. reliqua reperiuntur.

Poſtremò præfatus D. Corradus nonnullas mihi obſervationes Nonantulæ habitas communicavit, quas egit in Turri horologii ſuper oppidi Portam erectâ, quas innixas ſuper Intervallum inter Mutinæ, & Bononiæ Turres ex Ricciolo jam notum, libenter ſupputavi. Itaque ex hac ſupputatione hæc etiam conſtant.

Nonan-

Nonantulæ Turris illius Diſtantia à Mutinenſe Turri 5. 31. Ejus Ang. Poſit. jam obſervatus ex Mutinenſe Turri reſpectu Bononienſis Turris Aſinellæ gr. 47 7., erat autem Ang. Poſit Turris Bononienſis ex Ricciolo Mer–orien. gr. 63. 3. 15.; ergo Nonantulæ diſtantia à puncto Meridiei gr. 110. 10 cujus complementum ad gr. 180. gr. 69 50. quare hic eſt Ang. Poſit. Bor–orien. Nonantulæ.

Caſtri S. Joannis in Perſiceto in Bononienſi Territorio majoris Turris Ang. Poſit. reſpectu Nonantulæ Meridiem versùs gr. 23. 28 jam obſervatus; ergo Ang. Poſit. S. Joannis abſolutè Mer–orien. gr. 86. 42.; ejuſque Diſtantia 11. 31. reſpectu Mutinæ.

Eccleſiæ Panzani Ang. Poſit. Mer–orient. gr. 72. 20. Diſtantia 5 20.

Domus Sora Ang. Poſit. Mer–orient. gr. 75. 40. Diſtantia 4. 53.

TER.

Digitized by Google

TERTIA ADDITIO.

De quorumdam Mechaniſmo in motibus Mundi corporum refutato.

IN mea Inſtitutione Phyſico-Aſtron. cap. 12. eorum Recentiorum mechaniſmum refutavi, qui eodem modo de Naturæ operibus philoſophantur, ac ſi differerent de opificio quodam humanæ artis; videntur enim Attractionem quamdam, ſeu Gravitatem in Planetarum corporibus imaginari Solem versùs, non ſecus ac in terrenis corporibus reperiemus pondus versùs Terræ centrum; deinde aliam vim extrorſum, Planetarum corpora ad latus pellentem, quâ ea impediuntur, ne in Solem prolabantur, atque ita circulariter moveantur; quod ſi verum eſſet, in ipſis Planetarum corporibus duplex vis ad motum eſſet, prima naturalis, non ſecus ac in noſtris gravibus versùs Terræ centrum; altera ab extrinſeco, & violenta utpotè impediens naturalem motum versùs Globum totalem, Solem nempè, quemadmodum noſtris gravibus contingeret, ſi cogerentur in gyrum ferri potiùs, quàm ad Terræ Centrum. Verùm hæc hypotheſis, quamvìs phænomena ſalvaret, & propterea eſſet, ut ita dicam, virtualiter, ſeu æquivalenter vera, formaliter tamen eſſet falſa, quia Planetæ nequaquam nituntur in Solem ferri, ſicut gravia in Terram, unio enim hæc eſſet contra Naturæ intentionem, & ſimul deſtructiva ipſorum corporum Planetarum; ſed nituntur permanere in ea à Sole diſtantiâ, in qua naturaliter con-

ſervan-

ſervantur ; unde ſi fortè in majore à Sole diſtantia conſtituerentur, in Solem ferri conarentur, donec ad debitam ab eo diſtantiam pervenirent; & ſi ulteriùs in Solem ferrentur, id proveniret ex concepto impetu, ſicut evenit in pendulis, cui deſcenſui repugnarent, ſicut penduli repugnant aſcenſui, itaut deſcenſu illo deficiente, denuò a Sole fugerent, ut in naturalem reſtituerentur diſtantiam ab eodem &c.

Naturaliter ergo moventur in gyrum, etſi hic motus reſolvatur in duplicem vim, centripetam nempe, & lateralem rectilineam quoque, quarum utraque illis connaturalis, ſicut motus ipſe circularis eſt naturalis. Dicunt, quod ſi Luna privaretur motu circulari circa Tellurem, ex eo quòd deficeret vis ejus motiva lateralis, futurum eſſet, ut in Terram decideret: id verum eſt, ſi deficiente vi motivâ laterali, maneret vis centripeta; at id eſt naturaliter impoſſibile, quia neutrâ vi Luna naturaliter privari poteſt.

Hinc falſum eſt Oceani aquas, & marium attrahi à Luna, & Sole, vel quomodocunque in ea corpora gravitate, ideoque ex illa Attractione, vel gravitatione enaſci fluxum, & refluxum, eſto hæc hypotheſis, utpotè phænomenis cohærens, eſſet æquivalenter vera, eſt tamen formaliter falſa; nam fluxus, & refluxus oritur ab intrinſeco Aquæ ipſius, cujus motus viciſſitudines utriuſque Luminaris vicibus conformantur, non ſecus ac Lunæ ipſius Corpus in ſuis motibus Tellurem, Solemque reſpicit. Eſt etenim fluxus, & refluxus motio admodùm analoga variationi, quam Tychonicam vocant,

vocant, quæ in Luna obſervatur: Variatione ſiquidem iſtâ in duobus Octantibus ante & poſt ſingulas Sizigias Luna eſt velocior; in aliis duobus Octantibus ante, & poſt ſingulas Quadraturas eſt tardior. Ita quoque in aperto Oceano tribus horis ante & poſt ſingulos tranſitus Luminarium per Meridianum ſive ſuperum, ſive inferum Aquarum fluxus in Orientem obſervatur, unde ſex illarum ſpatio Oceanus influit in oras, tum Europæ, tum Africæ univerſas, quæ Occidentali Oceano exponuntur. Reliquis ſex horis intermediis, pondere ſuo refluunt aquæ in Occaſum; idque conſiderato eorumdem Luminarium diurno motu. Quoad verò motum menſtruum; in duobus Octantibus ante, & poſt ſingulas Sizigias major eſt fluxus præfatus in Orientem; in aliis duobus Octantibus ante & poſt ſingulas Quadraturas ſegnior eſt. Idemque effectus, qui in præfatis oris obſervatur, pariter obſervatur in Americanis ad Mare Pacificum, quod illæ ad Occidentem reſpiciunt.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO DE AERE.

Pars Prima.

I. GLobus Terraqueus, quem incolimus, circumambitur ab alterius generis Fluido quodam, quod tum Aerem appellamus, tum Atmoſphœram ab halitibus, & vaporibus, quos illud in ſe continet è ſubjecta Tellure eductos. Inquiri ſolet, an Aeris propria ſit ſubſtantia à vaporibus diſtincta, cui iſti innatent, atque ſurſum, deorſumque agitatione pellantur, ſicut vulgares atomos Solis lumine conſpicuas videmus; an verò tota Aeris ſubſtantia in hujuſmodi corpuſculis, & vaporibus conſiſtat. At primum verum eſſe demonſtratur ex effectu, nempè preſſione, tanquam ſi eſſet unum corpus fluidum, & grave, cujus partes etſi ſolutæ, invicem contiguæ, itaut ſuperiores premant inferiores, & ab utriſque fundum prematur; non ita ſe habent volitantes atomi, & inſenſiles particulæ vaporum, quarum unaquæque ſeorſim fluitans, alteri minimè contigua eſt, ſed ab altera interjecto ſpatio ſejungitur, aliter ſi eſſent contiguæ, ſenſibilem, & formalem aquam v. g conſtituerent. Diſtinguitur ergo vapor à formali aqua, quòd hæc ſenſibilis ſit ſub aquæ ſpecie, ſuaſque habet partes continuas ſecundùm ſenſum, & ſecundùm vulgi exiſtimationem, at verè tantùm contiguas, utpotè ſolutas juxta fluidi corporis exigentiam, & eſſentiam.

Va-

Vapor verò eſt aggeries particularum aquarum, quæ invicem ſunt diſcretæ, & nequaquam contiguæ, quæ aggeries à vulgo appræhenditur tanquam continuum corpus, quod Fumum, ſeu Nebulam appellat: & hic error ex defectu oritur viſus, qui non diſcernit illa corpuſcula, quæ eam conficiunt aggeriem, neque intervalla aerea, quibus unumquodque ab altero ſeparatur; non ſecus, ac in Cœlo ſtellularum aggeriem per modum unius oculo cernente, nebuloſam ſtellam putamus nos videre, ita Viam Lacteam, quam Ariſtoteles idcircò putavit eſſe exhalationem in Aere, cum exhalatio pariter ex diſcretis componatur corpuſculis. Confirmatur etiam vera, & ſubſtantialis diſtinctio Aeris à vaporibus, & exhalationibus hoc argumento: Quod eſt cauſa vaporum, ab his diſtingui neceſſe eſt; atqui Aer eſt cauſa vaporum, quia Aer agitatione ſuâ ita concutit ſuperficiales aquæ partes, ut avulſæ à ſuo toto facilè vel per ipſum Aerem, vel per aliam cauſam, in ipſum attollantur; ergo &c.

II. Eſt autem Aer fluidum corpus ſubtili materiâ terraqueâ contextum, inſtar ſpongiæ pluribus reſperſum vacuitatibus, magnis quidem relatè ad quantitatem illius materiæ; quod liquet ex ejus levitate, h. e. exiguâ gravitate. Si Aerem alicui ex palpabilibus corporibus aſſimilare vellem, maſſam laneam, vel bombycinam ſeligerem; aut cum Academiâ Regia Pariſienſe, Aerem comparabimus compoſito ex innumeris, & per exiguis laminis vi elaſticâ prædictis in modum ſphœrularum; Aer enim coarctari in anguſtius ſpatium poteſt

poteſt, etſi reluctans; atque cùm remittitur, vel ceſſat vis extrinſeca coarctans, dilatatur. Hinc ſequitur Aeris ſphœram plurimas habere contignationes, conſideranda in ea ſtrata invicem heterogenea in denſitate, & per conſequens in gravitate, nam infima ejus pars ſuſtinens pondus totius altitudinis admodùm conſtringitur, minùſque rara eſt; quò autem aſcenditur, rarior Aeris materia reperitur imminutâ quantitate Aeris prementis; & in extrema ſuperficie rariſſimus eſt, maximèque expanſus. Non tamen deeſt alia contrarii effectus ratio, nempè deſumpta à majore calore in inferiore Aere, præſertim æſtivo tempore, & in locis calidioribus, ex reflexione Solarium radiorum in ſuperficie Telluris, cujus momentum nonnihil detrahere fateor momento præfatæ rationis, videlicet preſſionis &c.

III. Ex hac inæqualitate gravitatis, quæ eſt inter partes, ſeu ſtrata Aeris in diverſis à Terræ centro diſtantiis, ſequitur, quòd ſi in aſcenſu Montis Barometrum adhibeamus, & obſervemus Mercurii deſcenſum, quatenus Aeris columna ſupereminens brevior ſemper fit, videbimus Mercurium deſcendere non quidem eâdem proportione, quâ Montis aſcenſus augetur, ſicut contigeret in Aqua, cujus partes tàm ſuperiores, quàm inferiores ferè homogeneæ invicem ſunt in denſitate, & gravitate ſpecificâ; ſed in progreſſu requiritur ſemper major menſura aſcenſus, ad hoc, ut fiat æqualis deſcenſus Mercurii. De qua re experimenta, obſervationeſque notandæ Academiæ Regiæ. In Tomo anni 1703. in Hiſt. in Tract. qui

incipit pag. 13. notatur primùm Mercurium deprimi lin. 1. cùm Barometrum transfertur ad altitudinem pedum circiter 60. ſupra Maris libellam; deinde dicitur hanc altitudinem pedum circiter 60. continuò non reſpondere uni lineæ deſcenſus Mercurii his verbis in latinum converſis: *At quia Aer eſt continuò minùs denſus, quò remotior à Telluris ſuperficie, Acris columna, quæ in imo Atmoſphæræ ſuſtinet unam lineam Mercurii denſior eſt, & conſequenter minùs alta, quàm columna ſuperior, quæ ſuſtinet aliam lineam, & ſic deinceps juxta quamdam progreſſionem, quæ ignota eſt* Fuit poſtea judicata progreſſio hæc à Clariſs Viris Caſſino, & Maraldo intrà tamen ſpatium altitudinis montium illorum, in quibus peractæ ab iiſdem obſervationes, h. e. uſque ad altitudinem dimidiæ leucæ; hæc autem progreſſio talis, ut ſi prima columna ſit pedum 61. ſecunda ſit pedum 62., tertia 63, & ſic deinceps per progreſſionem arithmeticam. Eſt autem ſemileuca hexapedarum 1000.

IV. Hinc ſequitur in altitudine pedum 798., h. e. hexapedarum 133. Mercurium depreſſiorem fieri, quàm ad Maris oram lin. 12. h. e. uno pollice. Ad depreſſionem ſecundi pollicis juxta normam præfatæ progreſſionis requiruntur pedes 942. alii, h. e. hexapedæ 157 aliæ, quæ additæ primis 133. faciunt 290. unde totidem hexapedæ requiruntur ad depreſſionem Mercurii duorum pollicum Ad depreſſionem tertii pollicis requiruntur aliæ 181. hexapedæ, unde fiunt hexapedæ 471. altitudinis pro tribus digitis depreſſionis Mercurii. Ad quarti depreſſionem aliæ 205. hexapedæ, h. e. om-

omninò 676. altitudinis. Ad quinti depreſſionem aliæ hexapedæ 229., h. e. omninò 905. hexap. altitudinis requirunt, ad hoc ut in Barometro depreſſior fiat Mercurius digit. 5 Uſque huc tutò utimur præfatâ progreſſione, obſervationem innixi fundamento; at ſupereſt multò major ſphœræ Aereæ pars non ſolùm quod ſpatium, ſed etiam quoad materiæ quantitatem, uſque ad ejus ſummitatem; ad cujus altitudinis inveſtigationem incertus eſt uſus hujuſce progreſſionis. Id tamen affirmari poteſt conditionatum, nempè quòd ſi eadem progreſſionis regula ſervaretur uſque ad extremam altitudinem, quæ in inferioribus partibus jam dictis, ſequeretur altitudo illa Aeris, quæ in Tractatu citato ſupputatur leucarum circiter ſex cum ſemiſſe.

V. Notandum autem hanc Aeris altitudinem non opponi propoſitioni, quam pronuntiaverat olim Caſſinus, videlicet altitudinem Aeris refractorii eſſe ad Terræ ſemidiametrum, ut 6065. ad 10000000., quæ ex calculo mihi provenit hexapedarum Pariſ. 1992., h. e. proximè unius leucæ; cujus diſcrepantiæ ratio non eſt, quaſi Aer refractorius diſtinguatur à reliquo Aere, nam etiam reliquus Aer refractorius eſt. Sed quia Caſſinus hypotheſim excogitavit Aeris homogenei, in cujus extimâ ſuperficie tantùm, fieret ea radiorum ſydereorum refractio, quam experimur. Verùm id per meram hypotheſim fuit ab ipſo dictum, quæ vera non eſt; notum enim, ut advertimus in noſtra Inſtitut. Phyſico-Aſtronomicâ paginâ 145. *Tertiò fateor* &c., & poſtea etiam Academicus

 Pariſ.

Pariſ. docuit, Refractiones incipere in extrema Aeris ſuperficie, & augeri in progreſſu ſenſim, donec ad oculum radius perveniat, itaut radius refractus ſpeciem lineæ curvæ exhibeat ex innumeris angulis refractoriis compoſitæ, quot ſunt ſtrata in denſitate invicem heterogenea.

VI. Quod attinet ad methodum inveſtigandi locorum altitudines ſupra Maris æquilibrium ex quantitate depreſſionis Mercurii in Barometro, etſi libens conceſſerim, quòd translato eodem Barometro, & in eadem regione ad majorem altitudinem, ſupputari poſſit differentia altitudinis locorum juxta regulam præfatæ progreſſionis inventæ; ſicut translato eodem Barometro, & in eadem regione è contra à majore altitudine in minorem è quantitate elevãtionis Mercurii, dummodò non fiat variatio ex alia cauſa procedens, quæ nempè vim habet mutandi altitudinem Mercurii, etiamſi Barometrum in eodem maneat loco; vel dummodò etiam in inferiore Aere non ſit fermentatio aliqua, quæ non ſit in loci editioris Aere, unde inferior Aer ſit præter conſuetum rarior, & rarior etiam Aere ſuperiore, in quo caſu in aſcenſu ad locum ſuperiorem, Montem v. g, non deſcendet Mercurius, ſed aſcendet, *cujus rei*, & eventus experimentum audivi factum, mihique enarravit D. Ludovicus Muratorius Sereniſſimi noſtri Ducis Bibliothecarius. Non tamen æquè facilè admitto id fieri poſſe per collationem obſervationum, quæ diſtinctis Barometris, aut diverſis regionibus fierent, v. g. ut ponitur per collationem obſervationum factarum Caucolibere, & Pariſiis.

VII.

VII. Obſtat primùm diverſitas in ipſis inſtrumentis Barometricis, quocirca attendenda ſunt monita D. Bernardini Ramazzini in ejus libello, cui titulus: Ephemerides Barometricæ Mutinenſes anni 1694. pag. 7., & 8., hinc eſt in eodem loco, eodemque tempore paſſim obſervari diverſitatem altitudinis Mercurii in diſtinctis Barometris, ut evenit hìc Mutinæ, & teſtatur D. Dominicus de Corradis, ſe feciſſe plurimos Barometros, neque unum alteri ſimile reperiſſe.

VIII. Obſtat ſecundò, quia ſupponitur, quod non probatur, imò experientia probat oppoſitum, nempè eſſe perfectum æquilibrium inter partes Aeris in æquali altitudine à Centro Terræ, ſeu ſupra Maris libellam; id etenim verum non eſt, præſertim quando magnum eſt intervallum inter ipſa loca, ſicut eſt inter Caucoliberem, & Pariſios. Si verum eſſet hoc perfectum æquilibrium, ubicunque, ſimul, eodemque tempore eædem variationes Barometricæ contingerent proportionaliter ad altitudines ſupra Maris libellam, quod repugnat experimentis etiam allatis in Tractatu Pariſienſis Academici præfatam methodum proponentis. Hìc Mutinæ, cujus diſtantia ab Obſervatorio Pariſienſe non eſt multò major diſtantiâ Caucoliberis ab eodem Obſervatorio, etſi aliqualis convenientia ex collatione obſervationum ſit deprehenſa, tamen plurimùm abeſt à totali, & perfectâ, ſicut opus eſſet ad inferendam differentiam altitudinis ſupra Maris libellam; imò aliquando nulla fuit obſervata convenientia, ut diebus 9. Februarii, & 6. Martii anni 1701.

IX. Factâ comparatione obſervationum Upminſteri in Anglia peractarum cum Pariſienſibus Obſervatorii annorum 1697., & 1698., cujus loci in Anglia diſtantia ab Obſervatorio dicto eſt multò minor diſtantiâ Caucoliberis, eſt enim duplò circiter minor, etſi reperta quædam phœnomenon conformitas in utroque ex his locis, nihilominus non ſemper æquales variationes utrobique contingunt. Non eſt ergo inter Aeris partes notabili aliquo intervallo disjunctas perfectum æquilibrium, ut etiam patet ex collatione aliarum obſervationum, ſive in Italia, ſive in Anglia, ſive in Gallia, ſive in Hiſpania factarum cum Pariſienſibus Obſervatorii. Multò minùs hoc perfectum æquilibrium reperitur inter partes multò majore intervallo diſſitas.

X. Neque mirum eſſe debet non eſſe inter Aeris partes perfectum æquilibrium conſideranti varietatem cauſarum impedientium hoc perfectum æquilibrium. Primum, & præcipuum ſunt fermentationes ipſius Aeris in diverſis Orbis terræ partibus, nam in aliquibus locis aliquando maximæ contingunt, in aliis mediocres, in aliis minimæ, in aliis nullæ; & quamvis Aer naturâ ſuâ tendat ad conſervationem *æquilibrii* propter ſuam gravitatem, dum inæqualitatibus illis motu ſuo (quem Ventum vocamus) obſtare conatur, non poteſt tamen obſtante Fermenti vi, ſive cauſæ fermentationem efficientis: De fermentationibus Aeris, Ventiſque inde productis, agemus ſuo loco. Secundum eſt varietas, & inæqualitas Solaris caloris, nam Sol non ubique æqualiter calefacit, &

rare-

Digitized by Google

rarefacit Aerem; diverſa enim eſt diſpoſitio locorum, dum alia ſunt plana, alia montana, alia maritima, alia ventis ſubjecta, & tali, vel tali vento, alia ſerenitate gaudent, alia minimè, alia algent, alia fervent. Exemplum defectus æquilibrii ſupra tetigi, cùm retuli experimentum nuper à me cognitum de majore Aeris pondere in monte, quàm in ſubjecta planitie. Perfectum æquilibrium potiùs agnoſcimus inter Aquæ partes, & Maria, nam ibi non ſunt cauſæ impedientes, quas expoſuimus, & inſuper in Aqua eſt multò major gravitas, quàm in Aere, unde conatus ad æquilibrium etiam major.

XI. Quod ſupra dictum eſt de Aeris altitudine, & de 60. pedum ferè altitudine ſupra Maris libellam pro deſcenſu unius lineæ Mercurii in Barometro, procedit ex obſervationibus peractis in noſtris Climatibus, noſtrâque circiter diſtantiâ ab Æquatore; at aliter differendum quoad regiones intrà Tropicos, præſertim ſub ipſo Æquatore; & multò magis in regionibus Polaribus, ubi circuli paralleli ſunt multò minores. Quocirca attendendæ ſunt Animadverſiones D. de la Hire, & præſertim D. Caſſini ſupra obſervationes in Bothnia peractas circa Refractiones Solis juſſu Regis Sueciæ. Ex obſervationibus factis Tornei in fine Sinus Bothnici circa Solſtitium æſtiuum anni 1694. reperta loci illius Latitudo gr. 65. m. 40. h. e. propè Circulum Arcticum, & reperta Refractio horizontalis min. 59. h. e. ferè dupla, ac in noſtris regionibus. Propè Æquinoctialem reperta Refractio horizontalis minor, quàm in noſtris regioni-

 bus,

bus, eſſeque duas tertias partes, & paulò plus noſtræ Refractionis: *Eſt etiam res notabilis, & admodùm conſideratione digna* (inquit D. de la Hire) *Aeris partem, quæ refractionem producit nullatenus ad illam pertinere, quæ pondus cauſat, quoniam eædem Barometri mutationes, & ferè altitudines obſervantur Stokolmi, quæ Pariſiis*. Hujus autem ratio eſt, quia major Refractio arguit majorem Aeris denſitatem, quæ tamen ſtare poteſt cum æqualitate quantitatis materiæ, & per conſequens cum æqualitate ponderis. Itaque inferimus Atmoſphœræ, ſeu Aereæ molis figuram depreſſiorem eſſe in polaribus regionibus, & altiorem ad Æquatorem. Sed etiam Globi ipſius Terraquei ſuperficies ex recentioribus Academiæ Regiæ obſervationibus, ut ex Tomo anni 1701. Memor. pag. 223. liquet, eſt depreſſior ad Polos, & aliàs ex experimento Pendulorum eſt altior ad Æquatorem; id autem Clar. Nevuton Anglus perpendit, & calculo ſubdit, metiturque altiorem ſub Æquatore milliar. circiter 17.

XII. Igitur Terraquea moles verè Sphœra non eſt, ſed Sphœrois; & magis etiam Aer, Sphœroidem illam circumambiens, Sphœrois eſt, cum altitudini Terraquei Æquatoris, propriam addat majori majorem. Aquæ major altitudo ſub Æquatore eſt proportionata magnitudini circuli maximi Sphœræ ſupra magnitudinem Circuli minoris; & minor altitudo eſt proportionata minori magnitudini Circuli minoris. Major altitudo Aeris ſub Æquatore eſt item proportionata magnitudini Circuli majoris &c.; verùm huic proportioni ali-

quid

quid etiam etſi parvum additur, quod Denſitati, & Raritati ex differentia caloris eſt tribuendum; quod Aquæ non accidit, quæ cum Elaterio careat ferè, rarefieri, & condenſari nequit ſaltem ut res conſideratione ſit digna. Ex hac Elaterii differentiâ inter Aquam, & Aerem oritur, quòd in hoc altitudinis inæqualitates ſtant cum æqualitate materiæ, non ita in Aqua, niſi fundum terreum pariter elevetur. Hinc tanta eſt quantitas materiæ in Aere à Polo terreſtri ad Aeris ſummitatem, quanta eſt ab Æquatore item terreſtri ad ſummitatem Aeris in eodem plano Æquatoris, & conſequenter idem Aeris pondus; altitudines verò inæquales Polaris minor, major Æquinoctialis, & proportionaliter ſe habent Raritates, ſeu Denſitates; indeque Refractiones pariter.

XIII. Quanta ſit Raritatis, ſeu Denſitatis differentia cognoſcitur ex Refractionum differentiâ. Refractio horizontalis ſub Æquatore eſt min. 22. obſervata. In noſtris hiſce regionibus inter Æquatorem, & Polum eſt min. 32. ferè; & ferè immutabilis ab Aſtronomis putata toto anni tempore, cum quantavis Raritatis mutatione ratione differentiæ Caloris, unde quàm exigua illa ſit in ordine ad immutandam Refractionis quantitatem vides. Sub Circulo Polari Refractio eſt min. 59. Obſerves, & perpendas oportet proportiones inter hos tres numeros 22 32., & 59., & dic ita ſe habere Denſitates Aeris, æquinoctiales, noſtras, & Circuli Polaris, ſeu initii Zonæ frigidæ. Sunt autem hæ proportiones cum perexigua differentia pares proportionibus, quas invicem habent tres

Cir-

Circuli, Æquator, Parallelus gr. 45., & Circulus Polaris, qui ſe habent, ut hi numeri ferè 60. 42. 24; itaque ut ſe habent iſti, ita è converſo ſe habent hi alii 56. ferè, 31. $\frac{18}{42}$, & 22., quibus hi proximi ſunt 59. 32. 22., illud exiguum, in quo differunt, eſt illa perexigua differentia, quæ enaſcitur ex additamento differentiæ Raritatis, ſeu Denſitatis ex differentia Caloris. Igitur præcipua, & paulò minùs, quàm tota reſpectivè differentia Raritatis, ſive Denſitatis in Aere in tribus illis *Telluris* ſitibus oritur ab inæqualitate trium Circulorum, unde etiam tantùm proficiſcitur Maris ſuperficiei inæqualis diſtantia à Centro Terræ, h. e. Sphœroiditas Globi Terraquei.

XIV. Itaque datâ causâ, quâ duo illa fluida, nempè Aqua, & Aer figuram perfectè ſphœricam in ſe habere nequeunt, ſed neceſſariò in Sphœroidem conformantur, juxta hujus leges, & non ſphœræ in ſuo quieſcunt æquilibrio. At quoniam in Aere Sphœroiditatis particula pendet ab alia cauſa, extrinſecâ nempè differentiâ Caloris à Sole prodeuntis, ideò Aer quatenus ſic à cauſa hac extrinſecâ afficitur, non quieſcit, ſed motu (quem Ventum vocamus) & loco, in quo denſior eſt, in locum, in quo rarior, fertur, æquilibrium pertentans, quod tamen obtinere non poteſt, cum cauſa illud frangens, vel impediens perpetuò ſit, ideòque perpetuus quoque eſt ille motus, & cum ſit perpetuus neceſſe eſt in gyrum verti. Ventus ergo ſit perpetuus à Borea in Meridiem, itemque ab Auſtrali Polo versùs Æquatorem in regione Aeris inferiore, in quo differentia illa Caloris ma-

gis

Digitized by Google

gis reſidet, & ut in gyrum vertatur, refluit per Aerem ſuperiorem, in quo differentia illa Caloris debilior non reſiſtit hujuſmodi refluxui. Interrumpitur verò ſæpè generalis iſte Ventus, præſertim in locis mediterraneis, propter ventos erraticos, qui cum quieſcunt, ille deprehenditur. Domeſtico experimento docemur de ratione hujus Venti, nam ſi in cubiculo ignis accendatur, illius cubiculi Aer rarefit calore, hinc Aer ex proximis locis frigidior, & denſior ob majorem ſpecificam gravitatem delabitur in locum rarioris Aeris, nempè in cubiculum illud, ut ſurſum eum pellendo per caminum æquilibrium cauſet; at ſi ignis in eo perſeveret, etiam Ventus continuus erit è proximis cubiculis frigidioribus. Hinc rectè De Regis in ſua Phyſica lib. 5. cap. 9 in fine ſcripſit *Le Vent pris formellement n' eſt altra choſe, qu' un traſport d' Air, & de Vapor d' une contreé de la Terre en une Autre, causè par leur poids, & par leur condenſation.*

XV. De Ventis, ſive Aeris motibus hæc conſideranda: Diſtinguere opus eſt Infimam Aeris regionem à Media, ubi Nubes feruntur; ſæpiſſimè Aeris motus ferè contrarii ſunt in his duabus regionibus, dum enim Nubes feruntur ab Occaſu v. g., eodem tempore in infimo Aere ventus efflat ab Oriente: hujus diverſitatis, & contrarietatis ratio eſt, quia Aer infimus montium clauſtris vallatur, ibique ſpirat Ventus illius regionis proprius, v. g. Longobardiæ, vel peculiariùs talis ejus provinciæ partis; at Nubes feruntur in media Aeris regione ſuperiore, cui montes non obſtant,

propte-

propterea in ea vigent Venti generaliores, & conſtantiores. Venti noſtræ Provinciæ alii ſunt terreſtres, alius eſt maritimus: terreſtres è circumſtantibus montibus originem habent, defluuntque ex editioribus, & frigidioribus locis in decliviora, & calidiora ad ſervandum æquilibrium, fluxuſque eorum talis, qualis fluviorum Provinciæ versùs Orientem, hinc flectendo in Meridiem, hinc in Boream. Id ſæpè hyeme obſervatur, quia tunc Aer regionis frigidior, quàm Aer ad Mare Adriaticum; at è contra æſtate, quia Aer terreſtris calidior propter Solaris luminis validam reflexionem, ideòque fluxus Aeris è Mari in Terram fertur, qui in progreſſu noctis refluit, & mane versùs Mare; & interdiu è Mari in Terram. Ventus maritimus ille eſt, qui fluit è Mari Adriatico in Terram, de quo modò diximus, qui etiam *Aere* tranquillo viget.

XVI. Ferè in media regione ubi Nubes, duo motus contrarii obſervantur, unus à plaga inter Ortum, & Boream; alter ex plaga oppoſita, qui motus alternatim ſibi ſuccedunt per modum fluxus, & refluxus. Horum motuum frequentiſſimus eſt ſecundus è plaga inter Auſtrum, & Occidentem, præſertim æſtivis *menſibus*. *Idem* evenit in media regione in locis *iſtis* mediterraneis, ac in aperto Oceano extra Tropicum Cancri, ſiquidem ibi frequentiſſimi venti ſunt ab eadem plaga inter Auſtrum & Occidentem, qui à nautis Hiſpanis Vendavalli appellantur, quos captant in reditu ab America in Europam, & ab Aſia in Americam, cum redire per eamdem viam, quâ abjerunt ab

Ortu

Digitized by Google

Ortu in Occaſum intrà Tropicos, ſit impoſſibile ob ventum generalem Orientalem, qui citra Æquinoctialem lineam eſt mixtus cum Boreali, ultra verò cum Auſtrali item generalibus. Hujus Occidentalis venti cauſa eſt refluxus venti Orientalis intrà Tropicos perpetuò regnantis, ex obice Terrarum & Montium, qui motus etiam propagatur ſupra Continentem ipſum extra Tropicum, adjuvante præſertim Oceanici Aeris majore pondere, quo effluit in Terras, ubi Aer rarior, Æſtate præſertim. Perpetuus tamen Occidentalis iſte Ventus eſſe non poteſt ob oppoſitionem Venti generalis Orientalis, qui etiam viget extra Tropicos quamvìs cum minore vi, qui, quoties contrarius Ventus remittitur, impetuosè erumpit.

Pars Secunda.

De Cauſa aſcenſus, & deſcenſus Mercurii in Barometro in eodem loco collocato.

I. DIximus ſupra in Prima Parte de diverſitate altitudinis Mercurii in Barometro propter locorum diverſitatem quoad altitudinem eorumdem, & depreſſionem: modò differendum de diverſitate, quæ etiam in eodem loco obſervatur diverſis temporibus. Augeri Aeris preſſionem, ejuſque cauſam proximam, nempè Aeris pondus, cum Mercurius aſcendit, evidens eſt; ſicut imminui cùm deſcendit; neque hac in re controverſia eſt, vel eſſe poteſt. Verùm ut quid hujuſmodi augmentum, aut decrementum contingat, inquiritur.

II. Quæſtio hæc uſque modò Phyſiologorum ingenia exagitavit, prodieruntque opiniones tam parùm probabiles, ut cautiores viri docti, ſe continere decreverint ab aſſertione cauſæ, ſolâ phœnomenon hiſtoriâ contenti. Clariſs. *Borellius*, qui primus hanc provinciam ingreſſus, illud dixerat, quod primo aſpectu veroſimilius videtur, nempè cauſam aſcenſus Mercurii eſſe augmentum ponderis in Aere propter Additionem vaporum, eo videlicet tempore, quo imminet pluvia; deſcenſus autem è contra eſſe vaporum Detractionem, cùm nempè ea materia ab Aere eliminatur per pluvias, aut nives, reditque ſerenitas. Verùm cum frequentiore poſterorum Autopſiâ, oppoſitum

tum

tum potiùs verum ſit, modò Borellii ſententia communiter rejicitur.

III. Prænotandum fieri non poſſe ponderis mutationem in Aeris columnâ æquiponderante mercuriali columnæ Barometri, quin maſſa materiæ in ea fiat vel major, vel minor. Fieri autem majorem, vel minorem, tribus modis contingere poſſe excogitamus. Primo modo fit major per Additionem Aeris, & minor per Detractionem; & hoc modo augetur columnæ Aeris pondus, cùm longior eſt columna, ut evenit in loco depreſſiore; & decreſcit cùm fit brevior, ut evenit in loco editiore. Secundo modo intelligimus fieri majorem materiæ maſſam in Aeris columnâ per hoc, quòd Aeris partes condenſentur coactâ materiæ maſsâ in anguſtius ſpatium, unde plus ejuſdem materiæ intrà amplitudinem columnæ comprehendatur; & intelligimus materiæ maſſam fieri minorem per hoc, quòd rarefiat in amplius ſpatium dilatatâ maſsâ, unde minus materiæ intrà columnam contineatur. Tertio modo concipimus majorem fieri materiæ maſſam abſque condenſatione ipſius ſubſtantiæ Aeris, ſed per hoc quòd intrà Aerem ſubingrediatur materia adventitia, vel alterius generis etiam gravis, vapores puta, & exhalationes. Et minorem per hoc, quod dicta vaporum materia, aut eliminetur ab Aere per pluvias, aut nives; aut abſque eo quòd ab Aere abſolutè ſeparetur, ſed diſgregetur, & diſſipetur per Aerem, & ita ampliùs non reperiatur tota intrà amplitudinem columnæ. Primus modus ad rem noſtram non pertinet, ſed ſolùm

ad ra-

ad rationem afferendam, cur in editioribus locis depreſſior ſit Mercurius in Barometro, ſecus in depreſſioribus. Itaque ad ſecundum, & tertium modos noſtra vertitur tractatio.

IV. Tertium modum, quoad primam partem olim fuerat amplexus Borellius, ut ſupra innui num. 2. Ipſe non obſervavit, neque cogitavit perpendens, num eo tempore, quo deprimitur Mercurius ab Aere, eliminetur per pluviam, aut nivem tanta aquæ quantitas, vel materiæ, ut reſpondere poſſit quantitati ipſius Mercurii, quæ à fiſtula ſubtrahitur, nam ſingulis Mercurii lineis reſpondere debent lineæ 14. aquæ, & vidiſſet longè minorem aquæ quantitatem decidiſſe, quàm, ut reſpondeat tanto Mercurii deſcenſui. Deinde conſiderandum, pluviam ſaltem raro eſſe univerſalem, h. e. fieri in toto ſpatio, in quo eſt in Aere communicatio æquilibrii; quod ſi non ſit hoc pacto univerſalis, ut ferè evenit, dividi debet illa quantitas per totum ſpatium, ubi non pluit, ſeu, quod idem eſt, accurrit hinc inde Aer ex regionibus, ubi non pluit, quæ ſunt in præfato tractu communicationis æquilibrii, ſuppletque onus aquæ decidentis, itaut ſaltem in Barometro ipſo, nullus proinde ſenſibiliter fiat Mercurii deſcenſus. Ampliùs non ſemper cùm deprimitur Mercurius pluvioſa viget tempeſtas, & nonnunquam ſecus evenit; imò ferè cùm deprimitur Mercurius, nondum viget, pluitque, ſed pluvia ſubſequitur Mercurii depreſſionem, & ſæpè cùm pluit, vel ſtat Mercurius, vel etiam aſcendit.

V.

V. Verùm adhuc aliàs videtur non excludendus tertius ille modus, ſcilicet quoad ſecundam partem; nam etiamſi Detractio materiæ per pluvias, aut nives, nequeat eſſe cauſa, cur deſcendat Mercurius; & additio materiæ æqualis nequeat eſſe cauſa, cur aſcendat, nihilominùs fieri poſſe videtur Detractio per hoc, quòd Vapores diſtrahantur, neque ampliùs tota materia reperiatur in eadem columna; pariter fieri poſſe videtur Additio per hoc, quòd materia aliunde tranſlata coaleſcat in eadem columna, æqualis illi, quæ detrahitur per Diſtractionem. Et fortè fieri poſſe videtur, quòd hæc materia vaporoſa ſit in multò majore quantitate, quàm illa, quæ per pluviam, aut nivem detrahitur. Quod attinet ad Cauſam hujus Diſtractionis, ſeu Diſſipationis Vaporum, duplicem eſt invenire, nempè Calorem, & Ventum: per Calorem nulla eſt difficultas: per Ventum etiam facilè eſt intelligere, namque ſicut per Ventum, pulveris granula ſibi invicem cohærentia, vel ſaltem proxima, dividuntur, ſparguntur, & diſſipantur per Aerem, etiam Vaporum corpuſcula, quaſi invicem cohærentia, vel proxima Ventorum vi per Aerem dividi, ſpargi, & diſſipari queunt; eòque magis id fiet, ſi Aer ſimul etiam, ſive à Sole, ſive exhalationum calidarum vi rarefiat, quo caſu commiſcebuntur tertius, & ſecundus modus num. 3.

VI. Ratiocinium iſtud nil veri concludit, & merè apparens eſt, quod conſtabit, ſi philoſophari, & differere velimus conſequenter ad ea, quæ diximus, & oſtendimus contra Borellianam hy-

pothesim num. 4. Nam Vaporum materia in Aere non eſt tanta, ut ejus aggregationis, & diſtractionis ratio momentum afferat, ſenſibile ſaltem, rei Barometricæ. Animadvertas opus eſt, quanta ſit aquæ moles, quæ ex. gr. ſpatio unius diei naturalis 24. horarum per pluviam decidit: hæc enim Aerem replet ab altitudine nubium uſque ad terram, conſtatque ex guttis innumeris ſenſibilibus, neque eſt eadem ſemper materia, ſed in continua ſucceſſione in toto illo temporis ſpatio; & tamen ſi unius columnæ tota illa aqua recipiatur in vaſe aliquo, ad ſummum non excedit menſuram linearum 20. Conſideretur alia columna paris altitudinis, vel etiam majoris, in qua non ſit aqua formalis, ſed aqua ſub ſpecie vaporis; hæc columna replebitur ex guttulis non quidem ſenſibilibus, ſed adeò minimis, ut ſenſum fugiant relatè ad illas præfatæ columnæ, quæ etiamſi in alias commutentur, idem ſemper eſt pondus, quòd ſolum conſideratur; at in præfata columna conſideratur pondus totius illius aquæ, quæ totâ illâ die effluit. Itaque quot vicibus æſtimabis materiam aqueam in vaſe collectam pluvioſæ columnæ ſuperare materiam vaporoſæ columnæ? procul dubio incomparabiliter majorem illam judicabis, quàm iſtam, & quidem evidenter, & demonſtrativè. Et tamen illa materia, quæ eſt incomparabiliter major, eſt adeò exigua, ut cum ſit linearum tantumodò 20. ad ſummum, ad rem Barometricam parum momenti affert, ut propter illius ſeparationem ab Aere, Mercurius tot lineis deſcendat; ut quid tantò minor materia, & incom-

para-

parabiliter minor, negotium aliquod faceſcat rei Barometricæ, ut ejus exiſtentia, vel non exiſtentia, nedum aggregatio, vel diſgregatio, ſeu diſtractio ſenſibilis ſit in Barometro? Ampliùs alio utar argumento, eodemque illo, quo uſus ſum contra Borellii hypotheſim: Diſtractionis Vaporum potiſſima cauſa eſſet Ventus, unde deſcenſus Mercurii; ſicut in Borelliana hypotheſi potiſſima cauſa deſcenſus Mercurii non eſſet Calor, ſed ſeparatio Aquæ ab Aere. Atqui cùm deſcendit Mercurius non ſemper viget ventoſa tempeſtas, imò non rarò deſcenſus Mercurii præcedit Ventum; & cùm Ventus actu efflat, Mercurius aſcendit; ergo deſcenſus Mercurii non eſt effectus Venti, & minùs etiam dependet ab effectu Venti, qui eſt Vaporum diſtractio.

VII. Rurſus ſicut in Borelliana hypotheſi, effectus eſt illi contrarius; ſicut enim Mercurius deprimitur ferè, cum debuiſſet juxta illam altus eſſe, & altus eſt, cum depreſſus cerni debuiſſet; ita quoque in hac hypotheſi, aggregationis Vaporum tempore ferè depreſſus Mercurius obſervatur, & diſgregationis tempore altus. Nam ſerenitatis, & tranquillitatis tempore, Vapores ſunt diſgregati, hinc Aer ſiccus deprehenditur; Cœlo autem nubiloſo Aer eſt humidus, h. e. Vaporibus ſaturatus, & Aer quidem infimus ſenſu ipſo teſte: ſpongia ſiquidem, cùm humore repletur, humectat, cùm autem vacua eſt, ſicca deprehenditur, humoremque tanquam famelica haurit; ſic Aer. Ei, qui oppoſitum diceret, incumbit probare ſuum paradoxum; quod ſi diceret ſibi conſtare oppoſitum,

 quia

quia Aeris ſereni, & ſicci majus pondus eſt, probare tenetur illud majus pondus provenire à majore Vaporum copiâ, aliter ſi non probaret, quod verè probare non poteſt, fallitur petitione principii, & circulum vitioſum committit, dum dicit eſſe majus pondus, quia Aer repletur Vaporibus, & Vaporibus repleri, quia majus eſt ejus pondus.

VIII. Quanta eſt Semi-Borellianæ hujus hypotheſis fallacia, quæ nimium momenti Vaporibus tribuit! Cogita quàm exigua materiæ quantitas, v. g. attramenti comparativè magnam aquæ molem inficiat, multò magis Aeris (qui tantò aquâ rarior eſt) magnam molem, aquæ portio exigua inficere poteſt, facilè etenim quis decipitur, dum ex nubium, vel nebulæ extenſione arguit majorem, quàm revera eſt, Vaporum materiam. Quâ in re veniâ dignus Borellius, utpotè ille, qui experimento caruit de parvitate materiæ aqueæ, quæ in Aere continetur, ex eo quia præter imaginationem, & ultra credibilitatem, experientia demonſtrat adeò parvam eſſe aquæ quantitatem toto pluviæ tempore deciduam; at veniâ dignus non eſſet, cui cum notiſſima ſit hæc experientia, nihilominus tantum tribueret Vaporum maſſæ, cujus notabilem jacturam percipere deberet in pluvia unius, vel alterius diei, cùm illam ſerenitas, aut certè induciæ à pluvia neceſſariò conſequantur, donec ea maſſa novæ evaporationis beneficio reficiatur.

IX. Cum ergo cauſa aſcenſus, & deſcenſus Mercurii in Barometro, quam inquirimus, non poſſit eſſe Additio, & Detractio materiæ gravis,

quo-

quomodocunque intelligantur, excluſo tertio modo, de quo num. 3. omninò, & quoad utramque partem, in quas eum ſubdiviſimus, ſupereſt veram cauſam conſiſtere in Condenſatione, & Rarefactione ipſius ſubſtantiæ Aeris, hoc eſt recurrendum ad ſecundum modum eodem num. expoſitum.

X. Nullam aliam Rarefactionis Aeris cauſam rationabiliter, & experientiæ inhærentes excogitare non poſſumus præter Calorem; nam quæ fortè ab aliquo afferri poteſt, nempè Fermentatio, hæc rarefactionis effectum non exerit, niſi per calorem, cui eſt proportionata Rarefactio. Verùm ſi Rarefactio à ſolo prodit Calore, & Rarefactioni eſt proportionatum ponderis decrementum, & Condenſationi incrementum, cur Barometrum non Thermometri ſpecies? inverſo tamen modo, ac in vulgaribus Thermometris, h. e. Mercurius aſcendat, cùm in illis liquor deſcendit, & cùm in illis liquor aſcendit, in Barometro Mercurius deſcendat. Hoc tamen ſit diſcrimen, quòd Thermometrum indicat gradum Caloris, quo Aer immediatè inſtrumentum ambiens, afficitur, Barometrum verò gradum Caloris, qui univerſaliter, & abſolutè in Aere reperitur. Sed verè res ita ſe habet, quod ut intelligas, præ oculis habenda communis diſtinctio Aeris in tres regiones.

XI. Hujus diviſionis ratio ſanè eſt Caloris diverſitas, & inæqualitas; nam in prima, & infima regione, utpotè proximâ reflexioni Solaris luminis, Calor eſt major, præſertim in locis, & temporibus, quibus Sol magis Terram percutit. In me-

dia regione minor eſt Calor; quia à reflexione eſt remotior Aer ille, ſicut in montanis locis minor eſt calor, quàm in planis, quia in illis debilior reflexio propter convexitatem ſuperficiei, atque in ea nubes, pluviæ, nives, & grandines gignuntur. Harum duarum regionum ſimul ſumptarum altitudinem ad ſummum plus non eſſe quàm unius leucæ putamus, conſideratâ ſummâ nubium altitudine. In locis, temporibuſque frigidis infima participat de media, & minor hujus eſt altitudo. Ad tertiam, ſupremamque regionem pertinet totus reliquus Aer uſque ad ejus ſummitatem. Per totam mediam regionem, quæ frigida eſt, putarem uti poſſe eâdem circiter progreſſione arithmeticâ, de qua diximus num. 3., & 4. Primæ Partis, & de qua tutò uſi fuimus uſque ad altitudinem ſemileucæ, quæ reſpondebat quinque digitis Mercurii in Barometro, unde altitudo unius leucæ reſponderet decem digitis Mercurii aliquantò minùs; ſuperſunt paulò plus quàm digiti 18. Mercurii, quorum ponderi reſponderet totum pondus reſidui columnæ Aeris, ſpectantis ad ſupremam Aeris regionem.

XII. Supremam Aeris regionem calidam eſſe olim arbitrabantur Ariſtotelici *ex vicinitate Sphœræ* Ignis; At Sphœram *Ignis ab* Aere diſtinctam non admittimus; ſed ſupremam ipſam regionem ſaltem ſecundùm ſui partem calidam eſſe, eſto non perpetuò putamus. Si Solem reſpiciamus, hæc regio eſt etiam frigidior mediâ, quia ea eſt remotior à reflexione Solaris luminis terreſtris ſuperficiei, unde rectè notatum nuper fuit à D. *Ja-*

cobo

Digitized by Google

cobo Placentino in Secunda Diſſert. de Barometro, Aerem, ſi ſecundùm omnem ſuam altitudinem ſumatur, non magnam ob Solis acceſſum, receſſumque in ſua temperie mutationem ſubire, ſed eas tantùm partes, quæ Terræ vicinæ admodùm ſunt, videlicet ob reflexionem luminis ad ipſius Terræ ſuperficiem factam. At hæc regio ſuprema, ſeu hujus regionis pars inferior caleſit ab exhalationibus ſubtilioribus, quæque igneam naturam redolent, nam exhalationum maſſæ, quæ in Aerem attollitur pars eſt craſſior, & gravior; hæc non tranſcendit mediam regionem, ſed ibi adunatur; alia pars ſubtilior, leviorque ulteriùs etiam ſupra illius limites fertur, & quia igneæ naturæ, vel formaliter, vel virtualiter eſt, Aerem illum, in quo adunatur, calefacit, & admodùm rarefacit, ſiquidem ille tantò aptior ut rarefiat, quàm Aer inferior, quantò minùs premitur à ſuperiore Aere: ſi hanc calefactionem, & rarefactionem appellare vis Fermentationem, huic appellationi non obſto; ſcias autem eam non eſſe omninò perpetuam, ſed tunc ſolùm eſſe, quando notabilis Vaporum, & exhalationum emiſſio è Tellure, quæ temporibus ſuis juxta Naturæ leges, contingit. Itaque cùm tunc Aer abſolutè, & univerſaliter acceptus, & ſecundùm totam ſuam altitudinem rarefiat magis, quàm cùm Solari calore rarefit tantùm infimus Aer; tunc etiam Aeris abſolutè, & univerſaliter conſiderati gravitas notabiliter minuitur, & in Barometro notabilis fit deſcenſus Mercurii, cui ſimilis & par non fit per Solis acceſſum, quo principali-

ter rareſit Aer infimus. Nos autem experimur tunc fieri deſcenſus Mercurii notabiles, quando hic Aer inferior præter conſuetum incaleſcit habitâ ratione temporis anni, quia tunc notabilis exhalationum miſſio fit; & quoniam hujuſmodi emiſſio exhalationum faciliùs in locis terreſtribus fit, quàm in mari, hìc enim ab aqua pori, meatuſve obſtruuntur, ideò magis quoque incaleſcit Aer terreſtris, quàm maritimus; hinc juxta legem æquilibrii Aer maritimus defluit versùs terras, unde ventus è locis maritimis efflat tunc.

XIII. Igitur principalis cauſa immediata Caloris viciſſitudinum in Aere abſolutè, & univerſaliter, & ſecundùm totam ſuam altitudinem conſiderato, non eſt acceſſus, & receſſus Solis, eſto ſit ſecundaria cauſa, quatenus eſt primaria in Aeris parte, nempè infimâ regione, & nonnihil concurrat etiam in aliis regionibus. Sed principalis cauſa immediata eſt influxus exhalationum ex imo, nempè Tellure; cujus tamen vices relationem habent ad acceſſum, & receſſum Solis; nam eo tempore, quo Sol minùs ſuo lumine percutit Terram, & frigus viget, h.e. cùm ſigna Zodiaci auſtralia percurrit, apud nos, intrà Telluris viſcera cohibentur exhalationes, *quæ aliàs in* externum irrumperent Aerem; verùm cum illarum copia interim collecta fuerit, vimque propterea cum quantitate auctam fuerit adepta, foràs erumpit; hinc fit ſumma emiſſio Vaporum, & exhalationum, vel intrà ipſos hyemales menſes, vel potiſſimùm cùm frigus remittitur, menſe Martii puta, quo tempore obſervavi maximas Mercurii

in *Ba-*

in Barometro depreſſiones. Eo tempore, quo cohibitæ exhalationes, cum in toto Aere frigus dominetur, vel caloris penuria, admodùm altus Mercurius obſervatur, quod ferè evenit circa hyemale Solſtitium; cum autem præfata ſit eruptio, Aer infimus tepeſcit, & Mercurius deſcendit, atque depreſſus manet, donec perſeverat calor in ſupremo Aere, quo imminuto, vel extincto denuò aſcendit. Inde tamen non ſequitur majus à nobis ſemper ſentiri frigus alto Mercurio, minùſque depreſſo, ſæpè enim contrarium accidit, quia alto Mercurio venti quieſcunt, depreſſo verò adhuc poſt nives, venti frigidi regnant.

XIV. Hyemis Anni 1716. conſtitutio talis fuit: Tanta fuit vaporum, & exhalationum copia intrà Telluris corpus ex interna, nobiſque abditâ illius diſpoſitione, & diatheſe, ut non potuerit tota cohiberi, ſicut aliàs evenit, quare ferè perpetuò, ſicut æſtate, eorum halituum eruptio contigit, etſi remiſſior; hinc Mercurius in Barometro ferè in ſtatu mediocri altitudinis, vel depreſſionis. Verùm cùm ea materia reſolvi non poterat, ſicut æſtate fit, in media regione coacta extraordinariam nivium copiam præbuit in tota Europa; & in fine Januarii auctâ eruptione, in Italia etiam pluvias, & fluviorum inundationes. Menſe Februarii jam completâ eruptione, quod materiæ modicum reſiduum fuerat cohibitum; hinc admodùm aſcendit Mercurius, perduravitq; quies hæc ſaltem dies circiter viginti, quibus neque pluit, neque ningit, tantùm hanc noſtram planitiem obſedit opaciſſima nebula, ut fieri ſolet hye-

mali

mali tempore, cùm quieſcit Aer à ventis, ſed eò magis tunc, cùm præteritarum pluviarum, & liquefactarum nivium humore ſolum fuiſſet inhibitum. Adveniente Martio, conſuetæ evenerunt eruptiones, hinc hujus temporis propriæ Barometri anomaliæ majores eruptiones fuere primùm circa diem 12. Martii, cùm fuerit conjunctio Martis cum Venere (hic hujus temporis mihi fuit character); deinde illâ eruptione etiam major alia circa diem 20. æquinoctii tempore. Hinc ſubſecutæ nives per totam Europam, & hìc in hac noſtra regione vehementiſſimi ventorum flatus ab Oriente, tum ob nives regionum, quæ reſpectivè ad nos Orientales ſunt, tum ob concurſum venti generalis, de quo alibi diximus. Circa hoc tempus fuere terræmotus in Africa Italiæ oppoſitâ; in Anglia, Scotiâ, & Hollandiâ, viſa meteora ignita; effectus hi fuere æquinoctialis illius eruptionis, unde exhalationes in ſublimiorem Aerem elatæ ea exhibuere ſpectacula.

XV. Cùm verò Sol borealia Zodiaci ſigna percurrit, & calidior propterea Aer infimus, eruptiones illæ magnæ non contingunt, quia tunc liberè datur exitus exhalationibus, & emiſſiones perpetuò, ideòque remiſsè fiunt, *unde* & minor Calor, minorque proinde rarefactio in supremæ regionis Aere, & conſequenter in Aere abſolutè, & ſecundùm totam ſuam altitudinem accepto; minorque etiam condenſatio, quàm cùm ob Caloris deficientiam exhalationes ferè penitus cohibentur. Hinc ſtatus Mercurii in Barometro tunc mediocris, exiguiſque mutationibus ſubjicitur.

Idem

Idem quoque evenit toto anni tempore in regionibus intrà Tropicos jacentibus propter eamdem rationem. In regionibus verò Polaribus, ubi Aer infimus ad hyemalem conſtitutionem accedit, mutationes etiam Mercurii hyemalibus ſimiliores contingunt, atque hyemis tempore aliquantò majores, quàm in noſtris regionibus.

XVI. Cæteris paribus interdiu deſcendit Mercurius propter Aeris rarefactionem, & noctu aſcendit propter contrariam cauſam, ſcilicet condenſationem; quòd ſi noctu ſtet Mercurius, in cauſa eſt exhalationum eruptio, ejuſque effectus, eòque magis, ſi deſcendat. Si interdiu ſtet, eoq; magis ſi aſcendat, ſignum eſt, imminutâ eruptione, imminui ejus effectum, nempè Calorem in Aere abſolutè conſiderato, & ſecundùm totam ſuam altitudinem. Cùm ſit eruptio, incaleſcit Aer infimus, tamen habitâ ratione temporis, minùs nempè hyeme, æſtate magis: cùm eruptio imminui incipit, tunc ventus efflare incipit, tunc enim imminutâ vi rarefaciente, Aer gravitate, & fluiditate ſuâ defluit ex parte oppoſitâ, ut æquilibrium faciat; pars hæc oppoſita, vel maritima eſt, faciliùs etenim eruptiones dictæ in locis terreſtribus fiunt, nam pori, meatuſve aquâ obſtruuntur in mari, unde Aer maritimus minùs calidus, & denſior, & per conſequens gravior, defluit; idque præſertim æſtivis menſibus, cum tunc univerſaliter Aer maritimus frigidior ſit terreſtri propter minorem Solaris luminis reflexionem. Vel terreſtris eſt frigida, & montana, nivibuſque operta, quod præſertim fit hyemalibus menſibus, qualis eſt

lis eſt reſpectu noſtri pars Orientalis, & Borealis; ut videre eſt in Mappa Geographica, adjuvante etiam generali Vento, ut ſupra tetigimus. Itaque efflante hoc Vento ſive maritimo, ſive terreſtri Calor minuitur in Aere infimo; non ſtatim autem minuitur Calor in Aere abſolutè conſiderato, & ſecundùm totam ſuam altitudinem, etſi imminuta eruptione, aut deinde ceſſante, etiam ille ſenſim extinguatur; at id cognoſcimus ex aſcenſu Mercurii.

XVII. Sed non ſolùm Ventus ſubſequitur præfatas eruptiones vaporum, & exhalationum, ſed quandoque etiam pluvia, & nix, præſertim in locis ubi major horum effectuum eſt diſpoſitio, ut in montanis, & frigidioribus. Hyemalibus, frigidioribuſque temporibus pluviæ ſunt generaliores; nam aliorum temporum Calor varietates effectuum producit, dum propter variam ſubjectorum diſpoſitionem hìc vapores diſſipat, hìc aggregat. In regionibus intrà Tropicos jacentibus ſpecialis varietas obſervatur, dum in hac regione per aliquot menſium ſerenitas viget, in alia proxima totidem penè pluvioſa tempeſtas; mox *ſerenitati* aliorum menſium pluvia ſuccedit, & pluviæ ſerenitas. Aliquando fiunt pluviæ, *vel nives*, neque hæ ſubſequuntur, aut comitantur depreſſiones Mercurii, neque conſequenter præfatas eruptiones; vel certè ſi illæ fuere, non fuerunt effectus illis pares. Id ferè evenit in principio Hyemis, & ratio eſt, quia materia illarum pluviarum, vel nivium jam erat in Aere, ſed diſſipata propter Calorem præteritum, quo deficiente, per ejuſdem

aggre-

Digitized by Google

aggregationem pluviæ, vel nives emerſerunt.

XVIII. Duodeviginti annorum ſpatio Barometri motiones ſedulò obſervavi; neque calamo peperci, dum prolixas Barometricas exaravi ephemerides, quas exſcribere, & in lucem edere pertæſus. Hoc quidem egi, ut quicquid notitiæ ex tanta autopſiæ luce haurire potui, tibi ò Lector, communicare non omiſerim. Non ignoro quantum luminis ſuſciperent mea theoremata hujus Secundæ Partis, ſi in praxi ipsâ hiſtoriæ, velut digito ipſo indicarentur; at non vacat tantam compaginare molem; intelligenti etenim pauca ſufficere putavi.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

00567706

Digitized by Google